



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**R. P. Fr. Ioannis Poncii, Corcagia-Hiberni, Ordinis Ff.
Minorvm, Sacræ Theologiæ Lectoris Ivbilati, Olim in
Collegio Romano S. Isidori Primarij Professoris;
Philosophiæ Ad Mentem Scoti Cvrsvs Integer**

Poncius, Joannes

Lugduni, 1659

Disputatio IV. De Forma substantiali.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-95688](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-95688)

DISPUTATIO IV.

DE FORMA SUBSTANTIALI.

MULTIPLEX est forma, vna artificialis, altera naturalis; illa acquiritur per artē, hæc per naturā, & diuiditur in substantialem, quæ est substantia, & accidentalem, quæ est accidens. *Rursus* forma substantialis diuiditur in intrinsecā, quæ intrinsece componit substantiā, & extrinsecā, per quam intelligitur causa exemplaris, quæ intrinsece non componit substantiam, respectu cuius dicitur forma. Denique forma substantialis intrinseca est duplex, vna Metaphysica, quæ non distinguitur realiter à re, cuius est forma, aut si distinguitur, non est ratio distinguendi rem, cuius est forma, specificè aut essentialiter ab aliis rebus: quod addo propter existentiam; quæ quamuis esset distincta realiter, à re, esset tamē forma metaphysica ipsius. Alia Physica, quæ realiter distinguitur à re, cuius est forma, & constituit illam, seu facit cum illa rem essentialiter distinctam ab aliis rebus, vocaturque communiter forma informans, quia materiam quæ est altera pars compositi physici, intrinsece informat, & eam sic informando, constituit totum: & de hac forma; quia est vnum ex principiis corporis naturalis hic agitur.

Eam autem antiqui variis nominibus appellauere. *Pythagoras* eam vocabat *vnū*, quod materiam, quæ communis est ad multas species, determinaret ad vnā; *Tymæus* apud *Platonem*, *mentem* propter similitudinem quam habet cum mente diuina; nam vt multiplex & mira rerum omnium materialium varietas à mente diuina efficienter, ita à forma prouenit formaliter, & hac etiam de causa vocabatur à *Platonis* *diuina soboles*, *Plato* ipse nonnunquam *similitudinis* & *effigies idearum* in mente diuina existentium, & nonnunquam etiam *embras*, quia non imitantur istas ideas nisi imperfectè, eo quod res in mente diuina perfectius esse habent, quàm in seipsis. *Aristoteles* aliquando *pulchrum*, quod conferat rebus pulchritudinem; aliquando *optimam*, quod ipsam maxime appeteret materia; aliquando *finem*, quia eam maxime intendunt agentia naturalia; aliquando *quidditatis rationem*, seu *quod quid est rei*, quod esset præcipua pars compositorum naturalium, & ratione cuius solummodo haberent inter se distinctionem specificam. Alij *terminum*, quod materiam ex se indeterminatam determinat ad certam speciem. Alij *characterem*, quod per eam cognoscatur differentia specifica compositorum. Alij *exemplar*, quod vt exemplar propositum artifice determinat ipsum ad certum opus, ita forma determinat agentia naturalia ad certas operationes.

QVÆSTIO I.

Quid sit forma substantialis, & an detur.

2. **Q**UIA in hac quæstione nulla est controuersia inter Peripateticos, non erant enumerandæ sententiæ illæ, sed veritas ipsa simpliciter proponenda duabus conclusionibus.

CONCLUSIO I.

Bene describitur forma substantialis esse substantia incompleta nata actuare materiam, faciendo cum ipsa vnum per se. Hæc in re est communis, & patet, quia omni & soli conuenit, & declarat naturam formæ, vt distinguitur ab omni alia re. Dicitur *substantia incompleta*, vt distinguitur à toto composito completo, & accidentibus. Dicitur *nata actuare materiam*, vt distinguitur ab ipsa materia, cum qua conuenit in ratione substantiæ incompletæ. Dicitur *faciendo cum ipsa vnum per se*, vt

ostendatur quid sit ista actiatio, nihil enim est aliud quam determinatio materiæ ad compositum constituendum.

CONCLUSIO II.

3. *Dantur forme substantiales.* Hæc est communissima cum Philosopho hic contra quosdam antiquos, & eam etiam negare debent quotquot negant materiam primam: si enim hæc non detur, non dabitur forma ipsam actians.

Probari solet communiter, quia alias non darentur composita substantialia: sed hoc est falsum, ergo. Hæc probatio non sufficit, nisi probetur minor, quæ ab aduersariis sine dubio negaretur.

Probari posset secundo, quia alias non darentur generationes substantiales: sed hoc est absurdum. Hæc etiam probatio similiter peccat ac præcedens, indiget enim probatione minoris, quam negarent aduersarij.

Probatum tertio, quia datur materia, quæ est pura potentia, & appetens formam substantialem, vt probauimus disputatione præcedenti: ergo datur etiam forma substantialis perficiens ipsam. Hæc petit manifeste principium, quia supponit dari formam substantialem: quia si forma non daretur, materia prima non daretur sub conceptu substantiæ incompletæ, & appetentis formam, nec disputatione præcedenti probatum est materiam primam dari sub tali conceptu, nisi supponendo quod darentur forme substantiales, quod suppositum huc probandum remissum est, nec hic propterea supponi potest, sed probari. Probatum quidem est dari aliquid commune subiectum primum, quod sit in re producta de nouo & in re corrupta: sed illud habere rationem entis substantialiter incompleti, ac perfectibilis per aliam substantiam incompletam non tam est probatum quam suppositum, nec probari potest nisi probando dari formam; unde non debet assumi tanquam principium ad probandum formam.

Probatum quarto, quia certum est experientia aliqua accidentia aliquibus rebus conuenire connaturaliter, & disconuenire aliis rebus: calor enim conuenit igni, & disconuenit aquæ, vt colligitur ex eo, quod non conueniat aquæ, nisi ab extrinseco agente, quo semoto reducit se ad pristinum frigus reiciendo calorem; ergo debet esse in illis rebus aliquid, ratione cuius hoc accidat; cur enim esset disconueniens aquæ, quod non est disconueniens igni, nisi esset aliquid in aqua quod non est in igne? sed illud non est commune subiectum illud quod reperitur in aqua & igne, vt manifestum est, ergo debet esse aliquid aliud: sed illud aliud est, quod vocamus formam substantialem, ergo datur forma substantialis.

Dices illud aliud esse accidens, & non aliquid substantiale, quod probatur, quia est in materia prima seu communi illo subiecto, ac dependens etiam ab illo in esse & fieri, non minus quam accidens est in subiecto ergo est accidens non minus quam ipse calor, & consequenter non potest esse substantia nec completa, nec incompleta. Hæc est maxima huius rei difficultas.

5. *Respondent aliqui*, non esse accidens, quia licet sit in alio, non tamen est in alio per inhætionem, sed per informationem.

Et si quaratur, cur non sit in alio per inhætionem. *Respondent*, quia facit cum materia vnum per se, & quia est in per se potentia ad illud: quod autem est in alio per inhætionem, non facit cum ipso vnum per se, nec ipsum est in per se potentia ad illud, & hinc accidentia non faciunt cum suis subiectis vnum per se.

Contra, quia ideo facit cum illo, in quo inest, vnum per se, nec est in ipso per inhætionem, & subiectum est in per se potentia ad illud, quia est substantia incompleta: ergo antequam cognoscatur facere vnum per se cum illo subiecto, debet cognosci quod sit talis substantia; quod est id, quod modo examinari debet: unde in hac etiam ratione petitur principium, quia supponitur id, quod est probandum.

Mm

Alij

Alii respondent, ideo illud non posse esse accidens, quia aduenit enti, quod est in potentia, & non actuatum per aliam formam, accidens autem aduenit enti actuato per aliam formam.

Contra, quia quantitas est accidens, & tamen secundum satis communem sententiam non aduenit enti actuato per aliam formam: ergo non est de ratione accidentis aduenire enti actuato alia forma.

Deinde, secundum Scotistas anima aduenit enti actuato per aliam formam, etiam substantialem, & tamen est substantialis: ergo non est de ratione formae substantialis aduenire enti non actuato per aliam formam, & consequenter ex eo, quod aliqua forma adueniat enti actuato alia formā, aut non actuato, non potest colligi, quod sit, vel non sit substantiale; Præterea vnde colligitur, quod illud, quod aduenit enti non actuato, non possit esse accidens & inherere ipsi, quemadmodum intellectio, quæ aduenit Angelo, qui est ens non actuatum forma aliqua, inheret ipsi, & est accidens?

7. *Auersus* dicit illud non esse accidens, quia respicitur à materia seu subiecto illo communi primario, & non ut aliquid ordinatum per se ad aliam formam, forma autem accidentalis respicitur à materia secundario, & tanquam aliquid ordinatum ad aliam formam.

Contra, quia forma corporeitatis, quæ præter animam est in viventibus, ordinatur ad ulteriorem formam, nimirum ad animam, & tamen secundum veriorum Scotistarum sententiam est substantialis: ergo ordinatio illa non impedit substantialitatem.

Deinde vnde colligitur, quod aliquid existens in alio, & non ordinatum ad ulteriorem formam non sit accidens tam bene, quam alia accidentia, quæ ordinantur ad ulteriorem formam? quod enim sic ordinantur, vel non ordinantur, videtur esse impertinens ad accidentalitatem aut substantialitatem, nisi velimus hanc rem difficillimam reducere ad quæstionem de nomine.

Dices formas, quæ non sunt ulterius ordinabiles, esse altioris ordinis, atque adeo posse esse substantiales.

Contra, quia vel intelligitur per hoc, quod sunt altioris ordinis, ut extrahantur extra genus accidentis, & hoc est petere manifeste principium: vel intelligitur esse altioris ordinis, id est perfectioris naturæ, & hoc non impedit quod essent accidentia, quia intra genus accidentis possunt esse, & sunt de facto alia aliis perfectiora.

Confirmatur primo, quia materia prima, quamuis sit ordinata ad aliam formam, & ulteriorem perfectionem, adhuc est substantialis: ergo ordinatio illa non impedit substantialitatem.

Confirmatur secundo, quia intellectio non videtur ordinata ad ulteriorem formam, & tamen est accidens.

Dices esse ordinatū ad habitū. *Contra*, quia prima apprehensio, & visio ocularis non est ordinata ad habitū, & tamē sunt accidentia: ergo ordinatio illa non facit ad res.

8. *Alii respondent* colligi, quod illud non sit accidens, quia non præsupponit aliam formam, ex cuius vi particulariter sequatur; omne autem accidens præsupponit in obiecto talem rationem.

Contra, quia relationes extrinsecus aduenientes, Vbi, Situs, Quando, non præsupponunt in subiectis aliquam formam, ex qua sequantur; nec calor in aqua; & tamen sunt accidentia: ergo non præsuppositio talis formæ non arguit substantialitatem.

9. *Melius ergo respondetur* formam substantialem esse illam, quæ non præsupponit aliquam aliam, ex qua sequatur, aut producatur, & est principium aliquarum aliarum formarum conseruatorum totius compositi constati ex ipsa & subiecto in quo recipitur; vnde cum illud, ratione cuius conueniat aquæ frigus; & disconueniat ipsi calor, sit aliqua forma, quæ non sequatur ex forma præuia, & est principium aliquarum formarum consentanearum, ac conseruatorum totius compositi ex ipsa, & suo subiecto, propterea debet dici forma non accidentalis, sed substantialis: ex experientia autem præmissa in probatione constat dari huiusmodi, ergo constat dari formam substantialem.

Cur forma
quæ dicitur
substantialis non
accidens.

Et si queratur, vnde colligatur quod forma talis debeat esse substantialis potius quā accidentalis, *Respondetur*, id colligendum ex communi acceptione formæ substantialis. Et hæc doctrina confirmari potest ex dictis in Logica disputatione de Accidenti ut sic, in prædicamentis.

10. *Probat*ur quinto conclusio, quia certum est lignum & aquam substantialiter differre, ergo differunt in aliquo substantiali: sed non differunt in subiecto communi, quod in utroque reperitur, ergo in alio substantiali: sed illud aliud est forma substantialis, ergo datur talis forma.

Confirmatur, quia differunt plus quam res alba & nigra: sed hæc differunt essentialiter in aliquo accidenti: ergo illa differunt in aliquo substantiali.

Confirmatur secundo: quando ex re alba fit nigra, aut ex calida frigida, non dicitur ipsa res alba aut calida destrui, & frigida ac nigra generari; nec dicitur aliam esse rem iam ab illa, quæ fuit ante: sed quando ex ligno fit ignis, dicitur destrui lignum, & ignis generari, & alia esse rem ab illa, quæ fuit ante: sed ratio huius non potest esse alia quā quod, quando ex re frigida fit calida, non destruitur aliquid substantiale, sed aliquid accidentale; quando vero ex ligno fit ignis destruitur aliquid substantiale: sed illud substantiale non est subiectum commune, ergo præter illud subiectū commune datur aliud substantiale: illud autem est, quod vocamus formam substantialem: ergo datur forma substantialis.

Confirmatur tertio, quia certum est dari animam rationalem, quæ est forma substantialis, tum quia per se potest connaturaliter existere absque subiecto, quod non est verum de vilo accidenti; tum quia id definitum est in tertio Lateranensi Concilio sub Leone X. *sect. 8.* & *Clement. vnicade summa Trinitate*: ergo non solum datur forma substantialis, quæ est anima, sed alia formæ substantiales in cæteris rebus. Consequentia quoad primam partem est euidens. Probat quoad secundam, quia aliæ cæteræ res per se existentes, v.g. lignum & lapis, essent entia incompleta substantialiter, constarent enim substantialiter sola materia prima, sed materia prima est substantia incompleta, aliās non posset aduenire ipsi forma substantialis animæ.

11. *Arriaga disput. 3. sect. 1. num. 2.* putat hoc argumentum non esse efficax, quia dubitari posset an materia prima, quamuis sit quid incompletum, manere tamen possit absque suo complemento, quandoquidem anima ipsa rationalis, quamuis sit quid incompletum, manet tamen absque suo complemento post mortem hominis. Sed argumentum tamen, hoc non obstante, habet vim, quia quidquid sit an manere possit vel maneat aliquando naturaliter materia absque forma; tamen absurdum est, quod esset incompleta in omnibus aliis rebus, & quod non nisi solo homine compleatur, & consequenter admittendum est dari alias formas substantiales præter animam rationalem, quod est intentum huius argumenti. Et sane quantum ad rationem naturalem eadem est ratio colligendi, quod materia compleatur in homine, per formam substantialem, & quod compleatur in aliis animantibus, etiam in aqua & igne per talem formam; vnde si ex fide hebetur quod sic compleatur in homine, argumento Theologico optimo colligi potest, quod similiter cōpleatur in aliis entibus.

12. *Idem num. 3.* opponit aliam difficultatem contra hanc confirmationem, nepe quod non sequeretur alias res esse substantialiter incompletas, quamuis constarent sola materia prima, quia materia prima posset esse substantia completa, quamuis in homine cōpleretur ulterius per animam rationalem, quemadmodum Verbum diuinum, licet sit completum, potest tamen facere vnum per se cum natura humana, & in hoc sensu compleri per illā.

Circa quā difficultatē satis prolixè discutitur: sed facile respondetur, quidquid sit, utrum substantia cōpleta posset ulterius cōpleri, constare materiam primā sicut non est sic cōpleta substantialiter in homine, ut sit tota substantia hominis; ita eam non esse sic cōpletā in aliis animantibus ac subiectis, ut sit tota substantia earū, quia aliās aliæ substantiæ non differrent substantialiter, & quia opera

operationes; & accidentia propria substantiarum non competunt ipsis ratione materiae primæ, quæ est eiusdem rationis in illis: ergo sequeretur, quod si præter eam non darentur in aliis animantibus & substantiis aliæ formæ substantiales; quemadmodum aliæ dantur in homine, quod aliæ substantiæ non essent completæ substantiæ in ratione substantiarum particularium talium, quod est intentum argumenti.

Alia probatio Aristotelis. *num. 11.* Idem *Arriaga* alio modo probat conclusionem *num. 11.* ex mysterio Eucharistiæ, quia constat ex fide totā substantiā panis perire, & manere accidentia ipsius: ergo nullū accidens est pars substantialis ipsius, & consequenter præter materiam primam datur aliqua forma substantialis in pane. tum quia ipsa materia prima non est tota substantia panis, alias lapis esset panis; tum quia, quādoquidem materia prima Christi manet sub accidentibus panis, sequeretur, quod maneret panis, si panis nihil aliud est quam materia prima cum talibus accidentibus.

Hæc probatio est bona probatio Theologica, si antecedens esset tam certum quoad secundam partem, nimirum quod accidentia omnia panis remaneant. Sed forte de hoc dubitari posset, & dici quod non constet alia accidentia ibi manere, præter accidentia sensibilia, præter quæ posset dici dari alia insensibilia, quæ essent principia illorum sensibilibus, & quæ cum materia prima dicerentur panis: quod si ita esset, quamvis tota substantia panis periret, & ipse etiam panis, tamen non sequeretur posset consistere forma substantiali, quia materia prima posset esse tota substantia panis, licet non esset vocanda panis, nisi habita forma accidentali illa insensibili.

Alia doctrina Aristotelis. *num. 14.* Idem author *disp. 4. Met. sect. 6.* ait conceptum substantiæ, ut comprehendit omnem substantiam, esse quod intrinsece constituit primam rem: & per primam rem intelligit quod primo, & per se intenditur à natura, vel primo, & per se existit, vel quia est prima radix categoriarum, & hinc infert formas aliquas esse substantiales, quæ dantur aliquæ formæ, quæ sunt primæ radices, ex quibus sequuntur aliæ formæ.

Si obiicias quod dispositiones ad formas substantiales sint primæ radices illarum, cum tamen sint accidentia; respondeo eas non esse primas radices, tum quia illas non continent, tum quia formæ illæ substantiales non intenduntur propter dispositiones, sed è contra.

Hæc explicatio non placet vllæ ratione, tum quia datur per distinctionem, tum quia forma corporeitatis, quæ est in viventibus cum anima, non esset substantialis, quandoquidem ordinetur ad animam, quod est absurdum; tum quia ubi sursum in graui non præsupponit vllam radicem in illo ad quod sequitur, neque ordinatur ad vllam aliam formam ex iis, quæ in graui reperiuntur, & tamen non est substantialis; & hinc manifeste impugnatur quod asserit idem author *S. Respondeo primo*, substantiam ut sic posse definiti esse quod non habet aliam sui priorem radicem.

Omitto aliam impugnationem, quam ipsemet proponit *num. 38.* & non bene soluit.

Fundamentum oppositæ sententiæ esset, quod non sit principium, unde colligatur existentia formæ substantialis, nec differentia eius à forma accidentali; sed ex dictis constat hoc esse falsum.

QVÆSTIO II.

An forma educantur de potentia materia.

Varia sententia. *sent. 15.* Aliqui existimauere formas substantiales, quæ de nouo producuntur in materia, præfuisse in eadē secundum se totas, sed latuisse tamen, & per actionem causarum naturalium prodire in lucem, ac apparere. Sic cum *Anaxagora* veteres quidā. Alii opinati sunt formas quidem præfuisse in materia ante generationē, sed secundum partem tantum sui, & secundū aliam de nouo produci. Alii dixerunt eas præfuisse secundum esse tantū essentia, & educi secundum esse existentia. Alii erant in sententia, quod nec secundum se formaliter præfuerint

formæ, aut partialiter, aut totaliter, aut secundum esse essentia, aut existentia, nec etiam virtualiter. Alij denique tenent quod virtualiter tantum præfint in materia. Sed authores huius sententiæ, quæ communior, & verior est; diuiduntur adhuc in varias sententias: nam aliqui illam vniuersaliter tenent de omnibus formis præter animam rationalem, etiam formis calorū, & elementorū. Ita Scotistæ communiter, quos sequuntur *Molina*, *Vasq. Ruinus*. Alij excludunt cum anima rationali formas cælestes tantum, ut *Suares disp. 15. Met. sec. 2. & 3.* alij cum his excludunt quoque formas elementorum asserentes educi solum ex potentia materiae solas materiales mixtorum. Sic *Fonseca 5. Metaph. cap. 2. Conimbricen. 1. Phys. cap. 9. quæst. 12.* Antequam resoluat hanc quæstio, prius statuendum quid siteductio.

De eductione.

16. Circa eductionem formæ ex potentia materiae varij sunt modi dicendi, sed omisissimis minus principalibus & facili impugnationis, præcipui tantum proponendi videbantur.

Itaque *Conimbricenses, 1. Phys. q. 12. a. 5.* dicunt eductionem esse productionem formæ cum dependentia à materia prius tempore existente, ita ut, nisi materia prius tempore existat quam vniatur ipsi formæ, productio formæ non possit esseeductio, quamuis dependeat à materia. Hanc sententiam etiam tenent *Complutenses* hic *q. 2. Ioannes à S. Thom. q. 4. a. 2.* qui vltius requirit, articulo primo, tanquam vnam conditionem necessariam ad eductionem, quod forma, quæ educitur, sit connaturalis subiecto, ex quo educitur.

17. Hic modus explicandi eductionem non placet, quia omnino impertinens est, quod materia præexistat tempore; sed sufficit quod forma producat dependentem ab ipsius influxu; quemadmodum enim sufficit prioritas naturæ in causa efficiente, ut efficienter producat effectum, etiam sufficit talis prioritas in materiali, ut materialiter producat suum effectum.

Confirmatur, quia per actionem eductiuā seu per eductionem formæ hic intelligimus productionē eius, quæ sit distinctæ rationis à creatione, & aliud intelligere per eductionem est excitare quæstionem inutilem de nomine: sed actio illa, per quam produceretur forma cum dependentia à causa materiali, esset distinctissima rationis à creatione (quæ est productio formæ sine tali dependentia) etiam si materia non præexisteret: ergo potest esseeductio sine illa præexistentia.

Confirmatur secundo, quia causa secunda non potest producere formam vllam naturaliter nisi per eductionem: neque enim potest creare aut cōcreare: sed potest producere formam in aliquo subiecto, quod non præexistit tempore, nempe in eodem ipso instanti, in quo producit istud subiectum: ergoeductio non requirit, quod subiectum prius tempore existat quā formaeducta.

Probat minor, quia Sol, si in eodem instanti cum ipso produceretur simul aër, illuminaret aëtem, & de facto Angelus in primo instanti, quo producit, producit in seipso intellectionem, & aqua in seipsa frigus, ac ceteras qualitates connaturales suas.

Deinde specialiter contra *Ioannem à Sancto Thoma* facit, quod ignis educat calorem ex potentia aquæ, quam calcfacit, qui tamen calor non est connaturalis propriæ loquendo aquæ, cum sit contra inclinationem eius: ergo connaturalis formæ ad subiectum non requiritur ad eductionem.

18. Dices pro aduersariis. Eductio fit per mutationem subiecti ad formameductam: ergo requiritur ad eam, quod subiectum prius tempore existat quā forma, quia alias non posset mutari ad formam.

Respondeo distinguendo antecedens: per talem mutationem, qua transeat de priuatione formæ, quæ realiter inexistat subiecto pro aliqua duratione temporis, ad ipsam formam, nego: tum quia id gratissime dicitur, tum propter impugnationes præmissas: per talē mutationē,

M m 2 qua

qua subiectum, quod de se haberet formam, nisi actio agentis intromississet, recipit ipsam per talem actionem, concedo antecedens, & nego consequentiam, cuius probationem distinguo: non posset mutari mutatione prioris rationis, concedo; posterioris, nego.

Dices secundo cum Complutensibus. Actioeductiva formae praesupponit materiæ productam: sed materia per se non potest produci, sed producitur productione totius, quandoquidem non habeat proprium esse: ergo debet produci ut existens sub alia forma, & consequentereductio praesupponit materiæ tempore.

Respondeo primo negando minorem cum sua probatione, cuius ratio patet ex dictis disputatione praecedenti.

19. *Respondeo secundo* primam formam quæ producitur in materia, esse dependentem à materia in genere causæ materialis, atque adeo eam praesupponere materiæ non minus quam sequentes alia forma, quæ educuntur ex ipsa: unde quemadmodum talis dependentia & praesuppositio potest saluari absque eo, quod materia praesupponatur tempore secundum aduersarios, ita etiam praesuppositio materiæ ad educationem potest saluari absque eo, quod materia praesupponatur ipsi tempore: & quemadmodum ipsi saluant istam praesuppositionem cum dependentia materiæ à forma recurrendo ad diuersitatem dependentiæ, in genere scilicet causæ materialis, & formalis, ita in proposito posset etiam defendi quod materia, licet dependeat à productione compositi & educatione, sit tamen prior in genere causæ materialis, quameductio aut compositum. Unde in forma.

Respondeo distinguendo maiorem; tempore, nego: natura, concedo, & consequenter concessa minori, quæ tamen est omnino falsa, nego consequentiam.

Deinde, quamuis ob replicam *Complutensium* concederemus, educationem formæ substantialis praesupponere materiæ existere prius tempore; tamen educationes formarum accidentalium, quæ nata sunt inherere toti composito, quod per se produci potest independentem ab illis, non praesupponerent tempore subiectum; quæ instantia conuincit, educationem ut sic, non praesupponere tempore subiectum, quantum ad hanc replicam.

20. *Suares dispnt. 15. Met. sect. 2. ait* educationem non esse aliud quam actionem eandem, quæ simul producitur forma ex materia, & compositum: quando ergo eadem actione forma fit, quæ fit ipsum compositum, tum forma educitur; quando vero forma fit una actione & compositum alia, tum non educitur forma, sed creatur. Ad quod tamen addit, si materia fiat eadem actione, quæ fit forma, tum non educi formam, nec generari, sed creari totum; unde vnica illa actio, per quam fit forma & compositum, quæ siteductio, non debet terminari ad materiæ: ex qua doctrina infert calorum formas non fuisse educas, quia putat eadem actione materias & formas eorum, ac ipsum consequenter compositum fuisse productum; at quia diuersis actionibus formæ elementorum ac ipsorum materiæ fuerunt producta, & quia per actionem, quæ producebantur ipsorum formæ in materia alia actione producta, producebantur ipsa elementa secundum ipsum; hinc formas elementorum in prima productione putat fuisse educas, & generata, non creata elementa.

21. In hac doctrina multa displicent. *Primo* enim quod compositum fiat eadem actione, quæ forma educitur, quamuis fortasse verum sit, omnino impertinens videtur ad educationem: nam si per impossibile aut possibile compositum non fieret eadem actione, sed diuersa, adhuc forma si produceretur dependentem à materia, omnino educeretur, nec enim crearetur.

Deinde, si per possibile aut impossibile forma non dependeret à materia, quamuis eadem actione & ipsa, & compositum producerentur, profecto non educeretur.

Confirmatur, quia in sententia plurimorum Scotistarum non producitur compositum eadem actione, quæ educitur forma; quod adeo verum est, ut *Mayronius* putet illas actiones posse separari, & formam conseruari posse vni-

tam & dependentem à materia sine eo, quod resulter totum; & tamen adhuc hi Scotistæ non negarent formas educi; & quamuis eorum sententia forte non sit vera, de quo alias, tamen signum maximum est posse haberi conceptum educationis absque eo quod habeatur conceptus de productione formæ & totius vnica actione.

22. *Rursus* quod materia & forma producantur vnica actione, vel non producantur, modo adfit dependentia formæ à materia, non impedit educationem.

Confirmatur, quia vel formæ calorum dependent à materia, vel non dependent; non potest dici quod non dependent, quandoquidem non possint connaturaliter conseruari absque illa materia, nec habeant vllam propriam operationem independentem à materia, nec sint ordinis supernaturalis. Si autem dependent: ergo educuntur, gratis enim aliud requireretur ad educationem, praesertim si non requiratur, quod materia sit prius tempore existens quam forma educatur, quod non requirit *Suares*; & praeterea materia praesupponitur ipsis, & consequenter non videtur posse produci eadem actione, quæ producitur forma; aut si potest produci eadem actione, & tamen esse prius natura existens, ergo productio eadem actione nequit impedire educationem.

Verum hæc impugnatio non sufficit, quia ad educationem requiritur sine dubio dependentia rei educæ ad rem, ex qua educitur, tanquam ad prius & communicans esse. Si autem materia, & forma vnica actione producerentur, licet forma dependeret à materia, & materia etiam à forma, quatenus neutra per illam actionem posset esse sine altera, tamen neutra communicaret esse alteri, quia neutra prius altera existeret, & consequenter neutra ex altera educeretur, & dependentia earum à se inuicem tanquam à concomitanti necessario ex vi actionis, & non tanquam à priori.

23. Melius ergo impugnatur illa sententia, quantum ad hoc, quia si actio ponatur ex parte termini producti, ut ponunt communiter Thomistæ, ac ipse *Suares*, materia & forma non possunt produci vnica actione, quia vnica forma non ponitur simul absque miraculo in pluribus subiectis realiter distinctis.

Deinde, qua ratione posset materia & forma cæli vnica actione produci, idem posset dici de materia & formis elementorum in prima productione, & æque deberet dici de vtrisque: ergo male asseritur de formis elementorum, quod in prima productione educantur, & id negatur de formis calorum. Nec refert quod materia elementorum transeat postea ad alias formas, nam hoc posset fieri, quamuis eadem actione produceretur cum forma, quam primo habuit. Verum quidem est quod perdita illa forma, deberet alia actione produci seu conseruari distincta ab ea, quæ simul producebatur: sed hoc non esset inconueniens, imo in sententia Thomistarum esset necessarium, nam de facto ad mutationem formarum sicut mutantur composita, mutantur actiones productiue seu conseruatiue materiæ, quia secundum ipsos producitur actio, quæ producitur compositum.

Denique gratis fingit *Suares* materiæ & formam cæli fuisse de facto productas vnica actione.

24. *Masfrinus q. 7. a. 2. ait* formam educi auteductam esse de potentia materiæ formaliter nihil aliud esse, quæ fieri formæ necessario in materia, & esse suum esse necessario in materia, ita ut si sit, inquit, aliqua forma, quæ sit & fiat in materia, tamen absolute fieri possit, quantum est ex se, sine materia, & esse sine materia, ista nõ dicitur educi de potentia materiæ. Hanc doctrinam adscribit Scoto pluribus locis & praesertim in 4. dist. 1. quæst. 1. vbi ait: *Formam autem materialem dico esse, quæ ex natura sua necessario inclinatur naturaliter ut sit actus materiæ, sine sit substantialis, sine accidentalis.* Addit eam etiam esse *Auerse & Amici.*

Sed re vera non est nec horum authorum, nec Scoti, nec etiam in se sufficiens. Quod probo manifeste, tum quia anima rationalis habet suum fieri naturaliter in materia, ita quod esset miraculum quod fieret nisi in materia, sicut esset miraculum quod forma materialis fieret extra mate-

materiam, & tamen non educitur ex materia; tum quia forma materialis efficitur ex materia, & tamen non ita necessario habet suum fieri in materia, quin quantum est ex natura sua, posset fieri & conservari absque materia; tum quia quamvis connaturaliter forma materialis petat fieri & conservari in materia, tamen si actu non dependet à materia quantum ad fieri, non educeretur; & similiter quamvis anima rationalis possit connaturaliter conservari & fieri absque dependentia à materia, tamen, si dependeret à materia, educeretur: ergo male explicatureductio dicendo, quod illa forma educatur, quæ petit connaturaliter non esse, nec conservari absque materia. Fateor illas formas, quæ hoc petunt educi, sed tameneductio earum non consistit in petendo hoc, nam possent petere hoc connaturaliter sine eo, quod educerentur, ut si, producerentur absque actuali dependentia à materia quemadmodum anima; & possent etiam educi, quamvis non peterent educi connaturaliter saltem de potentia absoluta, neque enim repugnat, quod anima rationalis educatur miraculose ex potentia corporis.

Confirmatur, quia habitus supernaturales creantur secundum Scotistas, & tamen connaturaliter petunt produci, & conservari in subiecto: ergo productio, & conservatio in connaturali subiecto non arguit necessario educationem, nec est necessarioeductio. Ille autem locus Scoti non est prorsus ad rem, nam aliud est, quod forma materialis sit, quæ inclinatur naturaliter ut sit actus materia, (intellige cum dependentia, alias anima rationalis esset forma materialis) aliud est, quodeductio ipsius consistat in hoc, quod id petat, aut quod eo ipso educatur quo necessario connaturaliter loquendo producit, & conservatur in subiecto aut materia.

25 *Fuentes*, hic quæst. 4. explicat educationem consistere in dependentia formæ in esse fieri & conservari à materia, & hunc modum dicendi tenent plures Scotistæ, & alij authores secundum ipsum, quos citat.

Sed quamvis omnes formæ, quæ educuntur, dependent in fieri, & conservari à materia connaturaliter loquendo, tamen non puto totum hoc requiri ad educationis essentiam, quod probo evidenter, quia si albedo dependeret tantum materialiter à subiecto in fieri, & conservaretur postea à Deo siue in materia siue extra materiam absque tali dependentia, profecto educeretur à potentia subiecti, & tamen non dependeret in conservari: ergo dependentia in conservari, licet connaturaliter comiteretur educationi, non est tamen de intrinseca ratione eius.

Confirmatur, quia quantitas Eucharistica educitur à potentia panis in prima productione, neque enim creabatur, & tamen non dependet in conservari à pane: ergo dependentia in conservari non necessario requiritur ad educationem.

Deinde si esset aliqua forma, quæ non posset connaturaliter conservari ultra instans in quo producit, illa posset educi, & tamen non conservaretur dependenter à subiecto: ergo illa conservatio non requiritur.

Denique modo dependeret in fieri à materia tanquam influente, quamvis naturaliter posset conservari absque materia, adhuc educeretur: ergo ad educationem non necessario requiritur dependentia in conservari.

26 *Alij* explicant aliter, educationem esse productionem formæ cum dependentia à causa materiali receptiva, & hanc dependentiam explicant sic, quod quemadmodum influit causa efficiens in formam, & propterea hæc ab illa dependet, tanquam à dante sibi esse, ita etià causa materialis influit in ipsam dando ipsi esse recipiendo ipsam, & propterea dependet forma à materia: nec sufficit, ut hoc modo dependeat, quod non produceretur, nisi esset materia in qua produceretur, quia sic anima rationalis dependeret à corpore in fieri, quia non produceretur à Deo, nisi adesset corpus dispositum, in quo reciperetur, sed requiritur influxus aliquis positivus materia, quo comunicet ipsi suum esse, siue iste influxus consistat formaliter in ipsamet receptione formæ, siue in aliquo alio respectu, de quo lib. 2. Nec refert ad educationem, quod forma dependeat secundum potentiam naturalem, aut obedientialem, aut

neutram, aut violentam, aut quod producatur à solo Deo, aut à causa secunda, sed sufficit quod dependeat: nam eo ipso quo sic dependet, non creatur; & per actionemeductivam intelligimus hic actionem non creativam.

27 Hic modus dicendi probatur, tum quia alias melior assignari non potest, tum quia non potest melius distinguui actioeductiva à creativa, quæ quod sit productio formæ cum huiusmodi dependentia, tum quia nihil habet difficultatis sicut ceteri modi; tum etiam quia est communissimus iam, & fortassis eum intendit *Mastrius*, ut patet ex probatione sua, quamvis ipsamet eius explicatio in terminis non sufficiat: est autem *Scoti* sine dubio, quia expresse asserit in 4. d. 1. q. 1. quod forma, quæ creatur, producat prius natura, quam uniatur & consequenter quod non dependeat ab unione ad subiectum: ergo intendit formam, quæ non creatur, non posse produci prius quam uniatur, & consequenter eam dependere in fieri ab unione, atque adeo à termino istius unionis, qui est subiectum. Quam doctrinam habet etià in 2. d. 1. q. 1. & aliis locis.

Adverto autem hic obiter, aliquos Scotistas male concedere, quod formaeducta dependeat quidem in fieri à receptione, sed non ab unione, quia hæc ad receptionem sequitur, & præsupponit formameductam; hoc enim non potest habere aliquid probabilitatis; neque enim potest intelligi forma recipi in materia, quin uniatur: imo receptio unius est ipsamet unio formalissima, neque una alteram præsupponit, neque vlla ex ipsis præsupponit formameductam.

28 *Dices* educationem hoc modo explicatam non posse dari, quia materia non potest habere virtutem influendi hoc modo in tot formas tam diversas, quot potest recipere, & quot possunt ex ipsius potentia educi, quia id videretur excedere imperfectionem materie: ergoeductio non debet explicari hoc modo.

Confirmatur, quia nullus efficiens sublimare habet virtutem influendi tam perfectam, ut possit etià partialiter concurrere ad productionem tot formarum: ergo multo minus id dici debet de materia. Propter hanc rationem & propter objectionem inferius ponendam num. 39. *Lessius* de summo bono num. 49. negat causalitatem materialem in materia respectu formarum, & *Arriaga* disput. 8. sect. 1. putat esse non ullam efficacem rationem, quæ id probet.

Respondetur tamen negando antecedens cum sua probatione, & ad confirmationem respondeo negando consequentiam, quia non habemus principia, ob quæ tribuamus illam virtutem efficienti, sicut habemus ad eam tribuendam materie. Quod autem hæc virtus debeat tribui materie, probatur manifeste, quia alias sequeretur aut quod causæ secundæ nihil omnino producerent effectivæ, aut quod crearent, quorum utrumque est absurdum.

Probatur sequela, quia nisi dependeret actio ipsarum ab influxu materie, omnino actio ipsarum esset creativa; ergo si haberent ullam actionem, haberent creativam. Probatur antecedens, quia productio cum dependentia à subiecto, quæ tamen non arguit influxum subiecti, non impedit creationem, ut patet in productione animæ rationalis, quæ habet dependentiam à subiecto quantum ad hoc quod naturaliter nequeat produci absque subiecto, & tamen est creatio.

29 *Probatur idem secundo*, & confirmatur hæc probatio, quia si causa secunda, v. g. ignis posset producere formam absque dependentia à subiecto tanquam ab influente in eandem formam, non posset assignari ratio, cur non posset producere formam absque subiecto, & præsertim si poneretur in vacuo, ubi non esset vllum subiectum, in quo eam produceret: sed est absurdum quod id posset facere, tum quia est contra experientiam, tum quia sequeretur quod crearet producendo aliquid absque vlla prorsus dependentia à subiecto, siue tanquam à priori, siue tanquam à cōcomitanti, siue tanquam à posteriori: ergo non potest producere absque tali dependentia.

Dices maiorem esse fallam, quia præsuppositio subiecti posset exigi naturaliter ad productionem formæ tanquam conditio sine qua non absque vllō concursu ipsius positivum.

Datur causa
saltem materialis in
materia respectu
formarum.

Confirmatur, quia de facto prærequiritur ad animæ rationalis productionem subiectum solummodo per modum conditionis sine qua non, absque influxu: ergo eodem modo posset præexigi subiectum ad productionem, & conseruationem aliarum formarum absque indigentia concursus positiui ipsius.

30 *Contra primo*, quia sic posset dici quod creaturæ non agant aliquid, sed quod prærequiritur tamen conaturaliter existentia, & applicatio earum ad passum, tanquam conditio sine qua non, est enim eadem ratio: sed hoc est absurdum: ergo & responsio illa vnde sequitur.

Contra secundo, quia non potest assignari aliquid per modum conditionis sine qua non, nisi habeat aliquem effectum positiuum conducentem ad formæ productionem, aut nisi tollat impedimentum positiuum illius productionis, vt disponendo subiectum ad remouenda impedimenta, aut applicando agens passio, aut aliquid simile faciendo, Quod posset intelligi particulariter deferuere ad productionem ita, vt non posset intelligi quomodo productio posset esse absque illa: sed existentia subiecti non potest habere huiusmodi rationem: ergo non potest dici esse conditio sine qua non.

Ad confirmationem respondeo primo, si valeret illa patitas, secuturum quod quemadmodum anima creatur, ita etiam aliæ formæ, quæ eodem tantum modo dependerent à subiecto, crearentur, vt ante dixi.

Respondeo secundo, negando consequentiam, & ratio disparitatis est, quod anima producatur libere à Deo solo, & consequenter posset Deus ordinarie producere ipsam aut in subiecto aut extra subiectum ad libitum suum, quamuis non dependeret ab influxu subiecti; at aliæ formæ producuntur à causis naturalibus, & propterea deberent ab ipsis produci tam bene extra subiectum quam in subiecto, nisi dependerent à subiecti influxu. Nec refert quod formæ conaturaliter loquendo petent esse in subiecto, quia adhuc deberent produci naturaliter à causa productiua adæquata, sicut calor, licet non petat conaturaliter esse in aqua, tamen debet necessario in ipsa produci, quando applicatur causa adæquata productiua ipsius.

Resolutio quæstionis.

His præsuppositis de eductionis natura, hunc determinanda est quæstio ipsa.

CONCLUSIO I.

31 *Neque forma qua educuntur, neque vlla alia aut secundum se tota, aut secundum partem sui, aut secundum statum perfectum aut imperfectum, aut secundum esse essentia, aut existentia, sunt formaliter in materia ante actionem causæ, per quam educuntur ex materia, aut inducuntur in ipsam.* Hæc est communissima Peripateticorum contra tres primos modos dicendi in principio huius quæstionis relatos.

Probatur primo vniuersaliter, quoad omnem partem, quia nullum est indicium aut ratio, vnde colligatur, quod præexistant formaliter vlla ratione ante illam actionem in materia: ergo id non debet asseri.

Probatur secundo, quia sequeretur, quod essent infinitæ formæ disparatæ, ac diuersæ naturæ in eodẽ subiecto simul, aut secundum se totas, vt dicit primus, aut secundum partem sui, vt dicit secundus; aut secundum esse essentia, vt dicit tertius modus; imo & quod essent infinitæ formæ eiusdẽ speciei, quia sunt infinitæ tales educibiles ex materia, nec est maior ratio, cur vna educibilis aut inducibilis, quam omnes, inexistenter in illa, vt est euident: sed hoc est absurdum: ergo & id vnde sequitur.

Confirmatur contra primum modum, quia non potest imaginari quomodo agens posset eas, quæ latitarent ante, in lucem producere, nisi producendo aliquid de nouo quod ante non fuit. Sed qua ratione posset aliquid de nouo producere, posset ipsas formas de nouo producere: ergo id dicendum. Deinde sequeretur, quod nulla substantia de nouo produceretur contra experientiam.

32 *Confirmatur contra secundum modum*, quia sicut agens potest de nouo producere partem, ita de nouo posset producere totam, & præterea nõ est maior ratio, cur vna

pars formæ, quam alia præexisteret in materia. Adde, multas formas, imo omnes substantiales esse indiuisibiles intensiue: ergo falsum supponitur, quod habeant partes, quarum vna præexisteret, & altera produceretur de nouo, nam hoc debet intelligi de partibus intensiouis non de partibus extensionis, quia quælibet pars extensionis habet sibi subiectum proportionarum, & vel secundum se totam præexistit in eo, vel secundum nullam partem præexistit, nisi habeat partes intensiouis.

Deinde præexistentia vnus nihil iuuat ad productionem alterius partis, nec facit quo minus illa pars producatur ex nihilo tã bene, quã si tota forma produceretur: neq; est minus absurdum, quod vna pars, quæ ante non fuit formaliter in alia parte, producatur de nouo ex illa parte, quã quod produceretur de nouo ex subiecto, quamuis in eo nõ fuisset actu & formaliter villo modo: ergo inutiliter excogitata est illa præexistentia partis in ordine ad saluandum, quomodo altera pars produci posset.

33. *Confirmatur denique conclusio quoad tertiam partem*, quia absurdissimum est & implicatoriũ, quod res quoad essentiam sit realiter in alio formaliter & actu, quin habeat existentiam, nam ab existentia habet actu existere: ergo si formæ sint in materia quoad essentiam, erunt in ea quoad existentiam aliquam.

Deinde quemadmodum existentia potest de nouo produci, potest etiam produci essentia; imo debet, quia eo ipso, quo producitur de nouo existentia, debet produci de nouo essentia. Adde essentiam formæ eatenus tantum esse in materia, quatenus possibiliter continetur in ipsa; sed existentia continetur etiam sic in illa: ergo si formæ sint in materia quoad essentiam, erunt etiam in ea quoad existentiam. Sed longior sum in impugnatione sententiarum futilium, pro quibus tamen

34. *Obijcies*: si formæ non præfuisent formaliter aliquo modo in materia, producerentur ex nihilo: sed sic, vel nullo modo posset produci, quia repugnat ex nihilo aliquid fieri, vel saltẽ nõ posset fieri, nisi per creationẽ, & ab agente creatiuo, quale non est agens creatũ, præfertim eductiuum, vt eductiuum est: ergo vel omnes formæ, quæ producuntur in materia, præfuerunt in ea aliquo modo, vel saltem sic præfuerunt formæ, quæ educuntur.

Respondeo distinguendo maiorem: ex nihilo sui ipsius, tanquam ex termino à quo; concedo maiorem, & nego minorem, quia sic produci possunt, & ab agente creatiuo, & ab eductiuo: ex nihilo subiecti, aut ex nihilo vllõ, tanquã ex parte componente, aut subiecto, aut causa influente, nego maiorem, nec sic producitur de facto vllæ formæ, quia omnes producuntur in subiecto, siue educantur siue non: quamuis possent sic produci absq; subiecto ab agente primo, sicut potest Angelos & ipsam materiam primam producere, & sicut conseruat animam rationalem, & quantitatem eucharisticam. Nec est tam euidentis lumine naturæ, quod nulla creatura posset etiam producere aliquid ex nihilo tam sui, quã subiecti, quin ad id probandũ longopos sit discursus; neque quantum ad apprehensionẽ, aut imaginationem facilius est concipere, quod aliquid produceretur de nouo in subiecto, quod non fuit ante existens in rerum natura, quam quod produceretur absq; vllõ subiecto, si esset aliquid, quod ex natura sua haberet independentiam à subiecto, vt sunt Angeli & celi, si sint simplices physice; vnde si Angelus haberet virtutẽ productionis sui similis, quemadmodum calor habet, produceret sine dubio Angelum alium de nouo ex nihilo tam sui, quam subiecti: vnde ad probandum, quod id nequeat facere, oportet ostendere, quod nõ habeat talem virtutẽ, nec meo iudicio sufficeret ad hoc probandum, quod creatura ex nihilo subiecti nequeat aliquid producere, sed recurrendum ad alia principia, de quibus suo loco. Quod totum fusius dixi propter vim, quam aliqui ponunt in illo axiomate: ex nihilo nihil fit.

35. *Obijcies secundo*: S. Augustinus 3. de Trinit. sap. 3. ait, omnium, quæ nascuntur, occulta quædam semina in mundi elementis latere, & Aristoteles 7. Met. 29. asserit in materia esse aliquam partem rei faciendæ: ergo formæ præexistunt quoad aliquam partem in materia.

Confirmatur

Formæ
non præ-
existunt
in mate-
ria actua-
liter.

Quomo-
do ex
nihilõ
nihil fit.

Confirmatur, quia ex quolibet non fit quodlibet, sed ex determinato subiecto determinata res, & consequenter determinata forma: sed huius non est alia ratio, nisi quod in determinato subiecto sit pars determinata formæ.

Respondeo S. Augustinum per semina illa occulta non intelligere partes formarum, quia reuera nō dicitur pars rei semen eius; sed virtutes productiuas & dispositiones quæ conducunt ad productiones rerum, & vult tantum, quod nihil de nouo producat, ad quod producendum elementa mundi non habeant virtutem concurrendi, siue immediate, siue mediate, aut dispositiuæ: vnde nego consequentiam. *Aristoteles* etiam, quamuis intelligeret de ipsa materia prima (de qua tamen non loquitur, sed de materia secunda includente dispositionē ad rem faciendam, vnde locus iste non facit ad rem nullo modo) solum veller, quod in materia, id est, in composito destruendo, circa quam versatur actio generatiua, sit pars aliqua rei faciendæ, id est, totius compositi generandi (neque enim vocat *Aristoteles* vnam formam rem faciendam, sed compositum) quod verissimum est, quia in eo reperitur materia prima, quæ ipsa reperitur tanquam pars materialis physica in composito generando: vnde iterum nego consequentiam ex dicto *Aristotelis*.

Ad confirmationem respondeo negando minorem: sed ratio est, quod in re destruenda, ex qua aliqua res determinata potius quam alia producit, sunt dispositiones aliquæ particulares, propter quas potest corrumpi ab agentibus determinatis ad talem determinatam formam; aut quod sit applicatum agentibus illis, & quod non possit applicari aliis agentibus potentibus ex eo alias formas educere.

CONCLUSIO II.

Formæ educuntur
præter
virtutem
naturaliter
tantum.

35. *Formæ, quæ educuntur ex materia, præferuntur in ipsa virtualiter tantum.* Hæc est communissima contra eosdem authores, ac modos dicendi, quantum ad partem exclusiuam, quæ conclusione præcedenti probata est, quia eatenus alio modo, quam virtualiter continentur in ipsa, quatenus formaliter, aut secundum se totas, aut secundum partem sui, aut secundum esse essentia præexistenter in ipsa: ergo cum sic non præexistant, sequitur quod non præexistant alio modo, quam virtualiter. Quod autem præexistant virtualiter, patet, quia eo ipso quo educuntur, dependent à materia tanquam à causa materiali influente, vt patet ex dictis, & consequenter materia debet habere virtutem sic concurrendi ad ipsarum productionem; sed hoc est illas continere virtualiter: ergo sic eas continet.

Confirmatur, quia efficiens secundum omnes continet effectum virtualiter, quia potest concurrere ad eius productionem per influxum effectiuum: ergo cum materia possit concurrere per influxum materiale, debet dici continere eas virtualiter.

Confirmatur, quia ideo aliqua formæ dependent à materia, & educuntur ex ipsa, quia continentur in eius virtute materiali: ergo quæ educuntur sic continentur in ipsa.

Dices: si illa esset ratio, quandoquidem contineantur in virtute efficientis, deberent educi de potentia ipsius: sed hoc est falsum: ergo.

Respondeo, negando sequelam maioris, quia non educuntur ex eo quod contineantur in virtute ipsius quomodocumque, sed ex eo quod contineantur in virtute materiali eius, quod non conuenit efficienti; vnde quando dicuntur educi de potentia materiæ, hoc debet intelligi de potentia passiuā, non de actiuā ex communi sensu.

CONCLUSIO III.

Omnes
formæ
præter
rationalem
educuntur.

37. *Omnes formæ substantiales præter animam rationalem educuntur de potentia materiæ, etiam formæ calorum ac elementorum in prima creatione.* Hæc quantum ad formas, quæ producuntur per causas secundas, & etiam quantum ad omnes omnino, præter formas calorum ac elementorum in prima creatione, est communissima con-

tra *Platonem*, & *Auicennam*. Quantum autem ad formas calorum ac elementorum in prima creatione est contra *Thomistas* communiter hic, quos sequitur *Suarez* disp. 15, *Metaph. sect. 2.* quoad formas calorum non quoad elementares. Eam autem vniuersaliter supponit *Doctor in distinct. 17.* quem præter suos sequuntur *Molina, Vasquez, Ruus, Murcia, Auerfa*, & alij plures. Excipitur autem ab omnibus anima rationalis, quia, vt supponitur ex dicendis de ipsamet suo loco, creatur, & non dependet nec in esse, nec in conservari à suo subiecto.

Probatur quoad formas omnes, quæ producuntur a causis secundis, quia experientia constat causam omnem secundam in productione cuiusvis formæ ita dependere à materia seu subiecto, vt non possit nec producere, nec conservare aliquam absque subiecto: ergo siquid est quod illæ formæ dependant à subiecto in esse, & conservari, & consequenter quod educantur ex ipsis potentia, quandoquidem ex dictis de educatione, nihil aliud sit educio quam talis dependentia.

Propter hanc rationem asseritur *Platonem* tribuisse productionem formarum omnium substantiis separatis seu vniuersalibus, non vero singularibus. *Auicenna* vero, qui negabat tales substantias, adscribebat formarum productionem intelligentiæ seu Angelo cuidam rerum materialium gubernatori.

Et cum obieciatur ipsis experientia, qua compertum est res singulares aliquid facere in ordine ad formarum productionem, respondebant eas nihil facere aliud quam disponere materiam ad formarum productionem.

Sed contra Platonem est, quod falsum sit dari tales substantias separatas vniuersales, non vero singulares. *Cōtra vtrumque* est primo, quod aequè bene possent adscribere productionem dispositionum illis causis, ac formarum, & quod aequè bene possent attribuire rebus singularibus productionem formarum, ac dispositionum, cum non sit magis inconueniens vnum quam alterum, & experientia tam doceat ignem producere formam ignis, quam dispositionem ad illam.

Deinde gratissime ac sine vilo fundamento recurritur ad illas causas, & negatur virtus actiuā respectu formarum aliquarum causis materialibus singularibus. *Præterea* quamuis demus ad eas recurrendum, non tollitur adhuc vis argumenti, quia nec substantiæ illæ separatae, nec intelligentiæ producunt vllas formas materiales, de quibus loquimur, nisi in subiecto, nec absque subiecto eas conservare possunt: ergo in earum productione dependent à materia, & consequenter formæ educuntur ex illa tam bene, quam dependerent, si producerentur à rebus materialibus ac singularibus.

38. *Probatur conclusio*, quoad reliquas formas eadem ratione, quia non producuntur, nec conservantur, nisi in subiecto: ergo sicut vllæ formæ educuntur, ita & illæ.

Confirmatur, quia sunt eiusdem ordinis cum materia, & non habent vllas operationes independentes à materia; sicut habet anima rationalis, quæ propterea secundum *Doctores naturaliter* potest existere absque materia; nec est inconueniens quod educantur: ergo potius dicendum est, quod educantur. *Probatur antecedens* quoad vltimam partem de inconuenientia, in qua est sola difficultas, quia si esset aliqua, maxime, quia vel producerentur formæ cælestes eadem actione, qua eorum materia produceretur, vel quia non producerentur nec illæ, nec elementares in prima creatione ex materia tempore præexistente: sed ex dictis de educatione patet neutrum horum impedire educationem, nec arguere consequenter quod esset inconueniens, quod formæ cælestes ac sublunares, & consequenter omnes aliæ substantiales, præter animam rationalem, educerentur: ergo, &c. Addo tamen, cum *Thomistis* negantibus formas cælestes ac elementares educi, quia simul tempore cum materia creantur, non esse nobis in re aliam, quam de nomine quæstionem, cuius tamen ipsius illi peiorem partem habent, vt patet ex dictis supra.

39. *Dices*: eatenus colligimus formas substantiales, & præsertim cælestes educi, quia non possunt cōnaturaliter

produci, nec conservari, nisi in subiecto: sed hoc non sufficit: ergo non habemus principium sufficiens ad colligendam earum educationem. Probatur minor, quia anima rationalis non potest produci connaturaliter, nisi in subiecto, & tamen in fieri suo non producitur dependenter à subiecto, & tamen in fieri suo non producitur dependenter à subiecto dependentia sufficienti ad educationem: ergo quod non possint formæ produci connaturaliter, nisi in subiecto, non arguit educationem. Nec tollit difficultatem hanc disparitas, quæ communiter assignatur, quod nimirum anima, licet non possit produci connaturaliter, nisi in subiecto; possit tamen conservari connaturaliter absque subiecto; formæ vero aliæ nec possint produci, nec conservari nisi in subiecto. Hoc, in quæ, non tollit difficultatem, quia si anima non possit conservari connaturaliter nisi in subiecto, nec tamen dependeret à subiecto, nisi si eut depender de facto quamdiu est in illo, sane non educeretur; & si aliæ formæ haberent talem solam dependentiam in esse, & conservari à subiecto, ut non possent connaturaliter produci, aut conservari absque subiecto, profecto non dependeret ab illo dependentia sufficienti ad educationem: ergo quod non possint nec fieri nec conservari, nisi in subiecto, non sufficit ad probandum, quod educatur.

Confirmatur hoc: quia sicut datur de facto aliqua forma, quæ potest connaturaliter conservari absque subiecto, & non potest produci nisi in subiecto, quamvis non dependeat in fieri à subiecto: ita nihil impedit quo minus detur aliqua forma, quæ non possit produci, nec conservari, nisi in subiecto, quamvis non dependeret ab ipso nec in fieri, nec conservari: ergo quod forma non possit produci, aut conservari absque subiecto, non arguit necessario educationem eius.

40. *Respondetur ad hanc difficultatem,* quæ est potissima, quæ potest videri contra educationem formarum, non ex eo præcise, quod non producantur, nec conserventur absque subiecto, nos colligere educationem, quod & efficaciter convincit hæc replica meo iudicio: sed videri, quia formæ educæ habent maximam proportionem cum materia, cum sint eiusdem ordinis cum ipsa, nec habeant ullam operationem independentem ab ipsa, ut habet anima rationalis, nec denique aliquid impedit quo minus dependeat à materia dependentia educæ.

Confirmatur hoc: quia illæ formæ, quæ producuntur à causis secundis, dependent sic à materia, alias causæ secundæ creantur: ergo quandoquidem non sit inconueniens, quod formæ, quæ producuntur à solo Deo, etiam educantur ex materia, modo sint eiusdem ordinis cum materia, ac habeant ex se requisita omnia ad educationem, id convenientius dicitur.

Confirmatur secundo, quia non ex eo præcise anima rationalis dicitur creari, quod producat à solo Deo, aut quod existat connaturaliter absque materia, quia posset dependere à materia atque educi in fieri, quamvis produceretur à solo Deo, & in conservari non dependeret semper ab ipsa, sicut res dependens ab una causa effectiva in fieri potest conservari connaturaliter absque tali causa, sed id colligitur ex immaterialitate eius, atque improprietate ad dependendum à materia, & ex autoritate: ergo cum cæteræ formæ substantiales non sint immateriales, aut improprietate ad dependendum à materia, nec sit autoritas vlla dicens, quod creentur, aut quod non educantur, debet dici quod educantur, & quod non creentur, etiam loquendo de illis, quæ à solo Deo producantur.

41. *Obicitur primo:* formæ cælorum sunt creatæ: ergo non educæ. Probatur antecedens, quia alias cælum non crearetur, contra Scripturam dicentem: *In principio creavit Deus cælum & terram.*

Respondetur negando antecedens, & distinguendo eius probationem: non crearetur cælum creatione proprie dicta, quæ est productio rei, aut omnino independentis à materia, aut rei: cuius forma producitur independentem à materia, concedo sequelam probationis; nec dicit Scriptura, quod tali creatione creata fiat cælum & terra: non crearentur creatione in largiori significatione, prout si-

gnificat productionem rei, quæ à solo Deo producitur & secundum formam; secundum dispositiones ad formam in unico instanti, nego sequelam probationis; & in hoc sensu Scriptura dicit ea creata fuisse, sicut in eodem ipso sensu dicit inferius, Masculum, & feminam creavit eos, scilicet Adamum, & Evam, quos tamen secundum communior sententiâ produxit ex materia tempore præexistente: in eodem sensu dicitur inferius Deum etiam creavisse cæte grandia, quæ produxit ex materia aquæ.

42. *Dices:* omnis productio compositi substantialis est aut creatio proprie dicta, aut generatio: sed productio cælorum & elementorum non est generatio, quandoquidem privatio non præcesserit tempore in ipsorum materia: ergo est creatio proprie dicta, & consequenter formæ ipsorum non educuntur.

Respondetur distinguendo maiorem: si ad generationem requiratur quod privatio formam præcesserit tempore, ut supponitur in minori, nego maiorem, nec unquam probabitur ab aduersariis, si non requiratur hoc, concedo maiorem, & nego minorem, & ad probationem dico illam privationis præcessionem non requiri ad generationem: an autem requiratur illa præcessio, nec ne, est questio de nomine parvi momenti, de qua tamen suo loco in tractatu de Generatione.

Ex his patet formas omnes accidentales, saltem naturalis ordinis, educi à potentia subiecti, in quo inhareret, quia eadem aut maior est ratio de illis ac de substantialibus. Dixi autem, naturalis ordinis, quia secundum Thomistas, & Scotistas etiam communiter habitus supernaturales fidei, spei, & charitatis per se infusi non educuntur, sed creantur, quamvis actus supernaturales harum virtutum educuntur, quia ad hos concurrunt effectivæ causæ secundæ, quæ communiter supponuntur non attingere terminum creationis: de quo videri poterunt, quæ dixi in commentario ad primum sententiarum dist. 17. quæst. 6. num. 9.

QVÆSTIO III.

An possint due formæ substantiales non subordinatæ esse simul in eadem materia.

43. *Intelligo per formas subordinatas illas,* quarum altera alterâ indiget, ita ut sine ea nequeat habere aliquas operationes, quas cum ea habere posset, & quarum una aliam præsupponi tanquam constitutum physicum sui immediati subiecti: & suppono ex alias fusè probandis in tractatu de anima, in omnibus viventibus corporeis dari plures huiusmodi formas, nempe animæ, & formam incompletam corporeitatis, quæ physice constituit corpus, quo simul cum anima constat, tanquam partibus physicis, quodlibet vivens corporeum, & in quo recipitur anima, quæ sine eo requirit videre aut sentire, sicut nec ipsum sine anima. Per formas autem non subordinatas intelligo illas, quæ ita sunt completæ, ut non indigeant se invicem ad aliquas operationes, nec una alteram supponit tanquam subiectum suum aut constitutum subiecti sui, adeo ut si simul reperirentur in eodem subiecto, neutra ad operationem alterius concurreret, ut sunt forma ignis, & aquæ, anima hominis, & Leonis, de quibus non dubitatur an possint esse successive in eadem materia, nam id fieri posse constat quotidiana experientia, in qua fundatur axioma commune, quod generatio unius sit corruptio alterius, quatenus forma rei generatæ succedens in eadem materia formæ rei corruptæ eam ab illa expellit: sed controuersia est, an simul possint esse in eadem materia huiusmodi formæ: quæ controuersia examinanda est & quoad potentiam naturalem, & quoad supernaturalem.

Prima sententia est posse plures formas huiusmodi esse naturaliter in eadem materia simul, præsertim quando sunt formæ, quæ non exigunt naturaliter oppositas dispositiones. Hanc probabilem reputat *Arriaga disp. 3. num. 101.*

Secunda sententia negat, id fieri posse naturaliter, supernaturaliter vero concedit. Ita *Gregorius in 1. dist. 12. Suarez disput. 15. Metaph. sac. 10. Hurtadus disput. 4. Physica sect. 3.* ac plures alij, quos ex Scotistis sequuntur *Schemma,*

Formæ accidentales naturales educuntur.

Quid formæ substantiales?

Quid non subordinatæ?

Sghemma 1. Phys. digressionem 7. Mastrinus ibid. disp. 5. a. 2. qui etiam attribuunt illam Scoti 4. dist. 10. qu.

Tertia sententia negat absolute per ullam potentiam id fieri posse. Hæc est Thomistarum communis cum D. Thom. 1. p. q. 76. quos sequuntur *Vasq. de Incarnatione disp. 23. Lorca disp. 24. Complutenses hic disp. 4. sect. 6. & ex Scotistis Arctinus & Fuentes hic & alij.*

CONCLUSIO I.

44. *Due forma substantiales non subordinata nequeunt esse naturaliter in eadem materia simul.* Hæc est communissima.

*Probat*ur primo experientia qua constat ad introductionem omnis talis formæ alteram, quæ præexistit, expelli à materia, ac corrumpi, quod non contingeret, si possent naturaliter simul inesse materiæ.

*Probat*ur secundo per obiectiones, quæ adducuntur contra secundam conclusionem sequentem, nam ex illis ad minus requiritur veritas conclusionis.

Obiicit primo, forma, quæ introducit, expellit formaliter alteram formam, ergo est simul cum illa in materia. *Aliqui concedunt* consequentiam pro aliquo instanti, sed male, quia si possent copari due formæ in instanti naturaliter, possent compari simul per totam æternitatem, quia non esset maior ratio compatibilitatis earum pro instanti, quam pro tempore quocumque, & quidquid inconuenientis sequitur ex eo, quod essent simul tempore, sequeretur ex eo quod essent simul pro instanti, ut mihi manifestum est.

Respondet ergo aliter, negando consequentiam, cuius ratio assignabitur in libris de generatione.

45. *Obiicit* secundo ex *Avruga*: de facto simul cum forma ferri remanet in eadē materia forma ignis, quando candet ferrum: ergo naturaliter manent simul huiusmodi due formæ. *Probat*ur antecedens, quia in primis est ibi forma ferri; ut patet ex eo, quod postea cessante calore reperitur ibi, & quod non adsit vlla causa, à qua producatur.

Deinde est ibi etiam forma ignis, ut patet ad sensum, sunt enim ibi omnia accidentia formæ ignis, non minus quam in carbone accenso. Propter hoc argumentum putat hic author oppositum conclusionis esse satis probabile.

Respondetur negando antecedens, & probationem pro secunda parte; nam licet sit ibi vehemens calor per totum ferrum, & fortassis multum ignis intra poros ipsius, ratione cuius appareat ignis, seu potius ignitum, non tamen est ibi forma ignis, quia nulla ratio suadet eam ibi esse, & consensus communis Philosophorum tenet oppositum.

Confirmatur hoc, quia si esset ibi forma ignis, falsum esset commune axioma Philosophi ab omnibus admissum, quod generatio vnius sit corruptio alterius, nam generaretur ignis ille absque vllius corruptione, & postea corrumpereetur absque vllius generatione.

CONCLUSIO II.

46. *Possunt dari de potentia absoluta plures forme non subordinata in eadem materia.* Hanc teneo cum authoribus secundæ sententiæ, non quod existimem eam doceri à Scoti in illo loco quarti, nam ibi tantum dicit: *quod si illa materia corporis locati in duobus locis transmutatur à duobus agentibus ad duas formas* (supple substantiales non subordinatas) *non esse nouum miraculum, sed tantum per antiquam miraculum* supple; quo ponebatur in duobus locis esset proportionata ad recipiendum actiones illorum agentium: quibus verbis non ait, quod materia transmutaretur in illo casu ad duas formas, nec quod possit sic transmutari; sed quod si transmutaretur, non transmutaretur per nouum miraculum: quod non facit ad conclusionem præmissam quam non credo vllibi traditam à Scoti, quamuis putem eam non esse difformem ipsius principiis: sed potius confirmem.

*Probat*ur, quia multa alia, quæ naturaliter sunt incompatibilia, possunt esse simul supernaturaliter, sic duo

corpora possunt supernaturaliter esse in eodem loco, ut aliàs dicemus: due qualitates contrariæ in summo, verbi gratia, albedo & nigredo, calor & frigus: ergo quamuis due formæ huiusmodi habeant naturalem incompatibilitatem; possunt tamen supernaturaliter esse simul in eadem materia, præsertim nisi sit aliqua implicantia in hoc, quod sint simul, qualem non esse iam ostendam.

*Probat*ur secundo conclusio, & principaliter: Non est vlla implicantia in hoc, quod sint simul huiusmodi formæ in eadem materia: ergo per potentiam absolutam possunt esse simul. Consequentiam admittunt aduersarij, antecedens probari non potest melius, quam soluendo implicantias, quæ ab aduersariis adducuntur, & sunt fundamenta, cur tenent oppositam sententiam.

Prima implicantia est, quod expellere formam aliam à subiecto esset effectus formalis, & non esset effectus formalis formæ; esset quidem effectus formalis, ut omnes supponunt; non esset autem, quia in nostra sententia impediretur à Deo, quando poneret vtramque formam simul: sed Deus nequit impedire effectum formalem: ergo esset, & non esset effectus formalis.

Respondet negando sequelam cum probatione eius pro secunda parte: bene enim potest Deus impedire effectum formalem secundarium formæ, qualis est expulsio alterius formæ, sicut potest impedire quo minus vnum corpus expellat aliud corpus, aut calorem frigus.

Dicit: Ideo Deus nequit impedire effectum formalem primarium formæ positæ in materia, quia non potest supplere talem effectum sine forma, sed non potest supplere effectum secundarium formæ sine forma, ergo nequit eum impedire.

Respondet, quidquid sit de maiori, negando minorem, nam potest sine dubio Deus expellere formam à materia absque introductione alterius formæ, solum subtrahendo concursum conseruatiuum, quo conseruat ipsam, à qua essentialiter dependet forma quantum ad existentiam: unde hæc replica potest retorqueri: Potest Deus supplere effectum hunc secundarium expulsiuum formæ absque forma, quamuis non possit primarium: ergo potest illum impedire, quamuis non possit impedire primarium.

48. *Complutenses* confirmant hanc implicantiam hoc modo: Licet aliquis effectus secundarius formæ possit impediri, tamen non potest impediri, si sit negatiuus, & tam intimus formæ, quam expulsio vnius formæ est in anima alteri formæ, quandoquidem proueniat ex intrinseca ratione formæ: ergo non potest impediri illa expulsio. *Probat*ur antecedens, quia ex eo quod forma cadaueris dat illi consequenter, & secundario priuationem vitæ ex intrinseca ratione sua, nec per potentiam Dei potest impediri quin sequatur ista priuatio, alias idem esset viuens, & priuatum vitæ.

Confirmatur hoc, quia quoties effectus primarius habet talem connexionem cum secundario, ut saltem à posteriori colligatur non fore primarium, nisi sit secundarius, tunc secundarius non potest impediri: sed si non esset expulsio vnius formæ adueniente altera, illa altera non haberet effectum suum primarium, quia non haberet rationem actus primi respectu materiæ, de ratione enim actus primi est quod non sit simul cum illo alius actus primus, neque præsupponat alium actum, sicut de ratione materiæ primæ est non præsupponere aliam materiam.

Confirmatur secundo, quia ut forma exerceat rationem actus primi circa materiam, debet & facere cum ipsa vnum per se, & dare ipsi primum esse seu esse simpliciter. sed nisi expellatur alia forma, non potest tale esse ipsi tribuere quod enim aduenit enti in actu, seu materiæ actuatæ, non tribuit ipsi esse simpliciter, nisi expellatur illa forma, qua actuabatur, quemadmodum albedo adueniens ipsi non tribuit ipsi esse simpliciter.

49. *Respondetur* negando antecedens, & ad probationem dico, quidquid sit, an detur forma cadaueris necessario dicens negationem vitæ, quod Scotistæ omnes meritisime negant; quamuis daretur, & quamuis etiam non posset totum ex ipsa constitutum recipere animam, tamen nullo modo importat negationem aut priuationem animæ in

Plures forme non subordinatae possunt dari de potentia absoluta simul in eodem subiecto.

in materia ipsius sic, quin in eadem materia de potentia absoluta possit esse anima; & sane oppositum asserere est petere directe principium: nam eadem prorsus est ratio, cur possint aut non possint duæ formæ simul in materia, ac cur possit, aut non possit esse forma cadaueris simul cum anima in eadem materia; quare non satis apte assumitur vnum ad probandum alterum, cum vtrumque sit æque ignotum.

Ad primam confirmationem respondeo distinguendo maiorem, si colligatur bene à posteriori in ordine ad quamcumque potentiam, etiam absolutam Dei, concedo; si non colligatur, nisi in ordine ad potentiam ordinariam, nego maiorem, & nego minorem cum sua probatione: haberet enim rationem actus primi per hoc, quod constitueret vnum per se cum materia, & quod ipsamet non constitueretur intrinsece ex alio actu, siue sit cum illa alius actus prius, siue non sit; sicut etiam & materia haberet rationem materiae primæ, quamuis succederet alteri materiae, modo ipsa non produceretur ex illa alia materia tanquam ex subiecto, aut parte componente.

Adde materiam dici primam, quia non præsupponit aliam materiam, aut subiectum, ex quo fieret, forma vero non dicitur primus actus ex eo, quod non præsupponat alium actum, & si propterea diceretur actus primus, non esset verum, quod esset actus primus, aut saltem non esset verum, quod essentialiter haberet talem rationem, ita ut per potentiam absolutam non posset præsupponere aliam formam, & simul cum illa in eadem materia manere: & dicere, quod haberet rationem actus primi in hoc sensu, est etiam petere principium, & assumere id quod probandum est. Vere autem dicitur actus primus, quia constituit vnum per se cum materia; hoc autem posset facere, quamuis adesset alia forma simul in eadem materia.

Ad secundam confirmationem respondeo negando minorem; ad hoc enim, quod faciat vnum per se impertinens est, quod expellat aliam formam, aut non expellat, & hoc ipso, quod facit vnum per se cum ipsa, dat etiam ipsi esse simpliciter; nam dare esse simpliciter materiae non est aliud, quam facere cum ipsa vnum per se; aut si sit aliud, est quid cum hoc necessario connexum; neque propterea albedo non dat esse simpliciter, quia aduenit materiae actuatae, & habenti esse simpliciter, quia quamuis adueniret ipsi non actuatae, adhuc non daret ipsi esse simpliciter. Non dat ergo esse simpliciter ipsi, quia non est substantialis, nec nata facere vnum per se cum illa. Ad illud quod additur, nempe quod aduenit enti in actu, esse accedens, & non dare esse simpliciter, respondebitur inferius ad implicantiā vndecimam.

51. *Secunda implicantiā* est, quod idem numero esset de essentia specierum completarum distinctarum, verbi gratia, eadem numero materia de essentia compositi, quod fieret ex illa, & alia forma simul inexistente.

Respondetur, hoc non implicare, sicut nec implicat, quod naturaliter possit idem numero successiue esse de essentia specierum diuersarum, verbi gratia ligni & ignis, & sicut non implicat, quod eadem anima de facto est de essentia carnis viuientis & ossis viuentis, quæ sunt diuersæ speciei, licet incompletæ.

Tertia implicantiā est, quod materia haberet simul & semel duos effectus adequatos, nimirum duo illa composita, quæ ex ipsa & pluribus formis illis sequerentur.

Respondetur negando sequelam, neutrum enim ex istis compositis esset effectus adequatus materiae sic, ut non possit alios effectus habere, imo naturaliter ultra sustentationem vnius formæ substantialis completæ, & constitutionem compositi ad illam sequentis, habet alios effectus, nempe sustentationem accidentium in ipsa receptorum.

52. *Quarta implicantiā* est, quod illæ formæ constituerent vnum per se compositum, & non constituerent; non constituerent quidem, quia alias essent subordinatæ contra hypotheseos conclusionis: quæ enim formæ natæ sunt constituere vnum per se compositum, sunt subordinatæ: constituerent autem, quia quæcumque forma substantialis intrinsece includitur in aliquo composito, intrinsece constituit ipsum; sed forma ignis, verbi gratia, existens

in materia simul cum forma ligni intrinsece reperitur in composito resultante ex ipsa, & forma ligni; quia intrinsece reperiretur in materia ipsius, & quidquid intrinsece reperitur in materia compositi, reperitur intrinsece in ipso composito: ergo constitueretur intrinsece illud compositum.

Respondeo negando sequelam pro prima parte, quatenus dicit, quod illæ duæ formæ constituerent vnum per se compositum. Ad cuius probationem nego maiorem, nisi reperiat in ipso intrinsece, tanquam pars; aut nisi sit pars alicuius, quod reperitur in illo tanquam pars. Itaque sicut accidentia, quæ inhaerent materiae primæ, licet reperiantur intrinsece in composito, in quo inest illa materia; quia tamen nec sunt partes intrinsecæ illius compositi, nec etiam materiae, aut formæ ipsius, propterea non constituunt ipsum intrinsece; ita forma ignis informans materiam inexistente ligno, licet sit in ligno, quatenus est in materia ligni, quandoquidem tamen non sit pars intrinseca ligni, nec materiae ipsius aut formæ, propterea non est constitutiva ligni.

Dices: licet non sit constitutiva ligni, erit tamen constitutiva alterius compositi simul cum materia & forma ligni, quod sufficit ad ostendendum, quod subordinetur formæ ligni.

Respondeo negando sequelam; illæ enim formæ, quæ sunt subordinatæ ad faciendum aliquod compositum distinctæ rationis à composito, quod ab alterutra sola fieret, non immediate subiectantur in materia prima, sed vna ex illis immediate subiectatur in ea, & altera subiectatur in composito resultante ex materia & illa forma, ut patet in forma corporeitatis, & animæ: illæ autem formæ non subordinatæ subiectarentur in materia æque immediate, sicut æque immediate subiectantur in eodem subiecto albedo & dulcedo.

Deinde nullæ formæ sunt subordinatæ sibi, ac natæ facere vnum per se compositum, nisi istud compositum posset habere vnam aliquam operationem, quam operationem, quam non haberet compositum ex materia, & alterutra ex illis: sed non potest assignari aliqua vna operatio, quæ competere composito vlli, quod resultaret ex forma ignis & ligni, quamuis illæ formæ essent in eadem materia: ergo non essent subordinatæ ad faciendum aliquod vnum compositum.

Quod si aduersarij non putant impossibile aliquod vnum compositum, quod resultaret ex illis formis casu, quo ponerentur in eadem materia, tum admitti potest absque præiudicio conclusionis, quod ex illis formis sequeretur vnum per se, & concedendum quod essent subordinatæ ad faciendum tale compositum, neque hoc est contra hypotheseos conclusionis, quæ loquitur de formis non subordinatis naturaliter, ut sunt formæ ignis & ligni, non curando an sint supernaturaliter subordinatæ, nec ne.

54. *Quinta Implicantiā* priori affinis est, quod compositum, quod resultaret ex materia, & illis formis, esset vnum & plura numero specie; vnum quia constaret ex eadem materia: plura vero, quia constaret diuersis formis non subordinatis, quarum quælibet est nata facere vnum per se completum.

Respondeo, quod quemadmodum ignis productus ex ligno, licet constet eadem materia, qua constabat lignum, non est vnum numero, nec specie cum ligno, ita compositum constitutum ex materia & forma ligni non debet esse vnum nec numero, nec specie cum composito resultante ex eadem materia, & forma ignis in eodem instanti temporis. Itaque in tali casu essent plures triæ entitates resultantes ex materia, & pluribus formis, quæ inter se differrent numero & specie, & consequenter duo composita.

Dices: quando albedo & dulcedo insunt eidem subiecto, non potest dici quod sint duo composita accidentalia: & hinc quauis aliquis habeat duas scientias, non potest dici quod sit duo scientes, sed vnus sciens, quia concretum accidentale non multiplicatur ad multiplicationem formarum: ergo quando illæ duæ formæ substantiales essent

in eadem materia, non potest dici quod sint duo composita substantialia, aut duæ substantiæ distinctæ.

Respondeo negando consequentiam, & ipsimet adversarij debent admittre disparitatem, quia etiam quando accidentia succedunt sibi inuicem in eodem subiecto, non admittunt duo concreta accidentaliter sibi inuicem succedere, & tamen admittunt, quando duæ formæ substantiales sibi inuicem succedunt in eadem materia, duo composita substantialia sibi inuicem succedere: ergo non est eodem modo discurrendum de concretis accidentalibus, ac compositis substantialibus. Ratio autem disparitatis videtur esse, quod compositum substantiale dicat directe aut tertiam entitatem Scotticam, si deitur, aut saltem æque primo materiam & formam; unde quotiescumque aut materia sunt distinctæ, aut formæ sunt distinctæ, potest dici absolute & simpliciter quod composita sint distincta: composita vero seu concreta accidentaliter non dicant æque primo, & eodem modo subiectum & accidens, sed vel subiectum dicunt in recto, & accidens in obliquo, ut aliqui dicunt, vel formaliter formam, & materialiter, ac connotatiue subiectum; unde potest contingere, quod quamvis forma multiplicetur, non debeant concreta multiplicari, nisi etiam multiplicetur subiectum, quod totum pendet ex modo loquendi, & intelligendi, nec in re potest habere difficultatem.

56. Et hinc etiam soluitur *sexta implicatio*, quam aliqui dant, nimirum, quod sequeretur vnum compositum substantiale posse in recto prædicari de alio composito, nempe ignem de ligno, dicendo: lignum est ignis, & e contra, sicut prædicatur de albo, quod sit dulce, eo quod albedo & nigredo sint in eodem subiecto.

Respondeo negando sequelam, & paritatem: & ratio disparitatis est, quod quando dicitur: album est dulce, sensus sit, quod res illa, quæ est alba, sit etiam dulcis, quod verissimum est. Quædo vero diceretur, quod lignum est ignis, sensus esset, quod res illa, quæ est lignum, sit res illa, quæ est ignis, quod falsum est, quamvis eadem materia constaret; sicut falsum est dicere, quod digitus hominis sit caput hominis, quamvis digitus & caput constent eadem forma substantiali, nempe anima rationali, & quidem eadem solâ in sententia Thomistarum ac recentiorum negantium formâ corporeitatis. Quod exemplum etiam confirmat, quod diximus ad præcedentem obiectionem, sicut enim non possunt dici vnum realiter compositum illud, quod sit ex materia capitis & anima, & illud quod sit ex materia pedis ac anima eadē simul, licet constent eadem anima, quia materia est diuersa, & composita illa per se primo dicunt tam materiā quā animam: ita non debent dici vnum compositum illud, quod sit ex materia & forma ligni, & ex eadem materia simul & forma ignis, quamvis constent eadem materia, quia non constant eadem forma, quandoquidem tam per se primo illa composita dicant formam quam materiam.

Dices: saltem sequeretur quod duo supposita essent sibi inuicem communicata, quandoquidem constarent eadem materia: sed hoc est contra rationem suppositi, quod debet esse incommunicabile.

Respondeo, quod, quemadmodum non repugnat suppositis etiam naturaliter participare eandem materiam successiue, & esse sibi inuicem comunicabilia in hoc sensu, ita non repugnat ipsis supernaturaliter participare simul eandem materiam; nec incommunicabilitas, quam dicit suppositum, excludit talem comunicabilitatem, sed aliam longe diuersam, de qua suo loco.

57. *Septima implicatio* est, quod si corpus hominis, verbi gratia, informaretur duabus animabus, constitueret duos homines; & vel volente aliquid vno alter necessario vellet, quod est contra libertatē humanam; vel si posset nolle, tum volente vno ambulare, alius posset nolle ambulare: in casu autem tali non posset dici quid fieret, atque hoc est inconueniens: ergo inconueniens est, quod duæ formæ simul possint poni in eadem materia.

Confirmatur, quia sequeretur quod corpus hominis posset informati simul cum anima rationali animâ bruti, sed

hoc est inconueniens, cum animæ diuersæ speciei requirant subiecta diuersæ speciei.

Respondeo, quod volente vno, alter posset nolle, & tum si vnus vellet ambulare, & alter nollet, vel vnus esset maioris virtutis, quā alter, & sic fieret quod ipse vellet aut nollet, non obstante contradictione alterius; vel essent æqualis virtutis, & tum non sequeretur ambulatio de nouo, quia volitio vnus non esset sufficiens ad eam ponendam, accedente nolitione alterius, quemadmodum de facto si esset aliquis sedens & vellet ambulare, accederet autem alius æque fortis, & impediret ipsum, tum non posset ambulare.

Ad confirmationem respondeo, in conclusione nos loqui de formis non requiruntibus diuersa subiecta, sed potentibus naturaliter succedere sibi inuicem in eodē subiecto; unde nego sequelam. Quod si subiectum animæ esset materia prima sola cum talibus vel talibus dispositionibus accidentalibus, concederem quod eadem materiæ posset aduenire anima hominis & bruti, quia etiam posset ipsi de potentia absoluta aduenire dispositiones, diuersæ quantumvis contrariæ, quæ ad illas animas requirerentur.

58. *Ostensa implicatio* est, quod vna natura non possit simul affici immediate pluribus subsistentiis etiā diuinis secundū *Scotum* 3. d. 1. q. 2. m. 5. cuius ratio est, quia dependet adæquate ab vna, atque adeo nō potest depēdere villo modo ab alia, quia alias dependeret, & nō depēderet: ergo similiter materia nequit informati pluribus formis. Probatur consequentia, quia tam materia depēdet adæquate ab vna forma, quam natura à subsistentia: ergo si haberet aliam formam, dependeret etiam ab alia, & consequenter dependeret & nō dependeret.

Respondeo negando consequentiam cum antecedenti probationis; materia enim nullo modo dependet à forma secundum suum esse, & si dependeret etiam non necessario dependeret adæquate ab vna forma: natura autem dependet, ut supponitur, à subsistentia, cui vnitur, & quidem adæquate de facto, quidquid sit de possibili, de quo in materia de Incarnatione.

59. *Nonā implicatio* est, quod posset recipere infinitas formas simul, atque adeo quod esset infinita perfectionis.

Respondeo: Si receptio infinitarum formarū argueret perfectionem infinitam, tum materiam non posse simul recipere infinitas, sed limitari virtutē eius ad determinatum numerū Deo cognitū. Sicut ex eo, quod intellectus esset infinitæ virtutis, si infinita simul intelligeret, quamvis posset plura simul intelligere; limitatur tamen eius virtus ad certum numerum, ultra quē nequit plura simul cognoscere. Quod si illa receptio non arguit talem infinitatem, tum potest simul infinitas formas recipere, sicut communiter admittitur, quod idem locus abique infinitate potest supernaturaliter infinita corpora suscipere, si possint simul produci. An autem illa receptio arguat in materia infinitam virtutem, parum est curandum, quantum ad præsentem difficultatem; sed exemplum illud de loco videtur arguere quod non.

60. *Decima implicatio* est, quod implicet formam vnā esse in pluribus materiis: ergo materia vna nequit esse sub pluribus formis. *Suarinus* & *Mastrus* concedunt antecedens, & negant consequentiam. Verum meo iudicio est eadem prorsus ratio; unde nego antecedens, cuius rationem dabo quæstione sequenti.

Undecima implicatio Thomistis familiaris est, quod sequeretur secundam formam esse substantiale & accidentale: esset enim substantiale, ut supponitur, & esset accidentale, quia adueniret enti in actu completo, hoc est materiæ actuatæ per formam substantialem completam, ac non subordinatam; quod autem sic aduenit: est accidens.

Responderetur negando sequelam pro secunda parte, quamvis enim illud, quod aduenit naturaliter loquēdo enti in actu completo, hoc est materiæ actuatæ per formam completam, sit accidens; tamen non omne illud, quod aduenit ipsi supernaturaliter, debet necessario esse acci

accidens, & ideo naturaliter non potest aduenire materiæ actuatae aliqua forma substantialis, quia formæ non subordinatæ substantiales sunt impossibiles naturaliter in eodem; unde una alteri superuenire nequit quin expellatur altera.

61. *Duodecima implicatio* est, quam proponunt *Complutenſes* supra pro ratione fundamentali suæ sententiæ, quod sequeretur materiam posse & non posse informari à pluribus formis; posset enim ex hypothesi; non posset autem, quia quod ex se non potest aliquid, non potest illud, nisi aliquid ipsi addatur, per quod posset illud: sed materia est impotens connaturaliter loquendo ad recipiendas simul duas formas: ergo nec supernaturaliter potest illas recipere, nisi addatur ipsi aliquid, per quod id posset. Hac eadem ratione applicata ad formam probant etiam unam formam non posse informare plures materias.

Sed facile respondetur negando sequelam pro secunda parte. Ad cuius probationem dico, quod materia quantum est ex se etiam naturaliter posset recipere plures formas, nisi fuisset propter incompatibilitatem ipsarum formarum; quæ non est in ordine ad potentiam supernaturalem. Quod si argumentum hoc valeret, probaret quod subiectum idem non posset recipere supernaturaliter duas qualitates contrarias, nec idem locus duo corpora: & certum est multa facere posse multa supernaturaliter, quæ non possunt facere naturaliter, absque eo, quod aliquid ipsis addatur præter concursum causæ supernaturalis, qualis etiam concursus aduenit materiæ, quando haberet duas formas, nam tum adesset concursus, quo Deus produceret secundam formam in illa, qui concursus non adesset, quando una sola forma informaret materiam, nec deberetur materiæ informata ab una forma, imo potius deberetur ipsi negatio ipsius, quia una forma exigit connaturaliter ablationem alterius formæ non subordinatæ.

62. *Obiici* præter hæc possunt aliqua loca Scoti, quibus oppositum conclusionis videri posset tenere; nam in 4. l. 10. q. 2. n. 4. dicit non posse plures formas esse in eadem materia: quod etiam insinuat in secundo dist. 2. q. 7. n. 4. & 4. d. 11. q. 3. n. 33.

Respondetur illis locis nihil eum docere ad propositum: nam in primo loco solum proponit difficultates contra conclusionem suam, & ad illas postea respondet. Neque quoties aliquis Doctor proponit obiectiones contra suam conclusionem, existimari debet ipsemet tenere omnes propositiones quas assumit in illis, ut manifestum est: quare miror illum locum adduci ad propositum hoc ab illo Scotista. In aliis duobus locis supponere quidem videretur formas substantiales non subordinatas esse impossibiles: sed intelligendus est quantum ad potentiam ordinariam, non quantum ad absolutam, de qua nullam facit mentionem.

QVÆSTIO IV.

An una forma substantialis possit simul esse in duabus materiis.

63. **O**mnes qui negant materiam posse esse simul sub pluribus formis, negant etiam unam formam esse posse in pluribus materiis. Imo & aliqui etiam ex illis, qui concedunt materiam posse esse sub pluribus formis, negant tamen formam posse esse in pluribus materiis simul, ut *Suares* supra, & *Mastrius* disp. 5. q. 7. qui tamen distinctione utitur, asserit enim unam formam posse esse in pluribus materiis discontinuis inadæquatis, quas scilicet continuatas posset informare, propter exemplum S. Dionysij Areopagitæ, qui gestasse caput suum abscissum legitur, & eodem capite prædicasse populis: quod facere nequirit, nisi anima esset simul in capite, & reliquo corpore; negat vero eandem formam posse esse in pluribus materiis adæquatis. Vocat autem materiam adæquatam, illam integram, quam petit forma connaturaliter informare, ut est corpus humanum respectu animæ; materiam vero inadæquatam vocat partem materiæ adæquatæ.

CONCLUSIO.

64. *Eadem forma informare potest simul, & semel duas materias etiam adæquatas, hoc est tales, cum quibus potest facere unum per se completum de potentia absoluta, non vero de ordinaria.* Hanc quoque secundam partem de potentia naturali tenent omnes, & patet tum experientia, tum quia una materia non potest naturaliter subesse pluribus formis adæquatis simul, nec unum corpus in pluribus locis. Quoad primam vero partem de potentia absoluta, eam expresse tenet *Rhnius*, & *Amicus* hic, & ex Scotistis *Sghegma*, & est conformis ad resolutionem questionis præcedentis, ac ad ea, quæ diximus in Logica, ostendentes non implicare, quod idem accidens possit esse in pluribus subiectis simul de potentia absoluta.

Probat autem quoad hanc partem, quia unum corpus potest esse in pluribus locis simul de potentia absoluta, & una forma accidentaliter in pluribus subiectis, & una materia sub pluribus formis, & una subsistentia potest afficere plures naturas: ergo & una forma potest esse de potentia absoluta in pluribus materiis. Probat consequentia, quia eadem propter est ratio, & qui solvere poterit contradictiones, quæ afferuntur contra antecedens, poterit eadem facilitate solvere illas quæ adducuntur contra consequens: ergo æque debet tenere utrumque.

Confirmatur, quia de facto naturaliter loquendo eadem anima rationalis reperitur in pluribus subiectis realiter distinctis, ac loco diffinis, ut in capite & pede, estque de essentia diuersorum specie corporum: ergo de potentia absoluta potest etiam informare diuersa corpora disunita ac completa. Quæ sane confirmatio mihi est valde magni momenti, nam quod diuersa subiecta, quibus anima inest, sint continuata ac incompleta, non sufficit pro disparitate, saltem in ordine ad diuinam potentiam; nec enim illa diuersa corpora verbi gratia caput, & pes, sunt incompleta essentialiter & physice, quandoquidem non possint physice, & essentialiter compleri ulterius, licet possint compleri ulterius integraliter, quia possunt coniungi cum aliis partibus integralibus, ex quibus resultat aliquod ens integraliter completum, nempe homo.

Confirmatur ulterius, quia quemadmodum naturaliter eadem numero anima rationalis potest informare duo corpora distincta rationis continuata inter se, ita omnino videtur, quod eadem forma aquæ posset informare duas partes materiæ primæ saltem continuatas, quod sufficeret pro conclusione. Quod si posset etiam illas continuatas informare, profecto posset & discontinuatas, quemadmodum eadem anima secundum plures ex aduersariis, speciatim *Mastrius*, potest illas partes discontinuatas informare simul, quas simul posset informare continuatas, ut patet in exemplo S. Dionysij.

65. *Probat secundum principaliter conclusio*, quia non est repugnantia, quod una forma simul informet duas materias etiam adæquatas in sensu conclusionis: ergo asserendum est de potentia absoluta id fieri posse: consequentiam admittunt aduersarij. Probat antecedens soluendo implicantias, quæ adducuntur ab ipsis.

Prima est, quam asserunt *Complutenſes*, quod si forma ex se non possit naturaliter informare duas materias, non poterit etiā supernaturaliter id facere, nisi aliquid addatur, per quod possit: sed nihil potest addi, per quod id possit, ergo non potest simul informare tales materias. Sed hoc argumentum probaret æque, quod unum corpus non possit esse in pluribus locis supernaturaliter contra ipsosmet *Complutenſes*. Sed positue.

Respondeo, ut supra respondi, multa posse fieri supernaturaliter per aliquam rem, quæ naturaliter nequeat facere, absque superadditione alicuius præter concursu supernaturalem Dei, & terminum eius, qualis concursus adesset in proposito cum termino suo, neque concursus productivus unionis secundæ in forma ad materiā alteram, & ipsamet unio, quæ est terminus eius, ac etiam secundum totum, quod resisteret ex anima, & altera materia.

Secunda

Secunda implicancia est ex Matrio, quod sequeretur formam esse infinitæ virtutis, quia quæ ratione posset informare duas materias, posset infinitas, si darentur, & hoc argueret in ipsa infinitatem virtutis informativæ, quæ est perfectionis. Fulsissime proponitur, & confirmatur hæc implicancia à prædicto autore, sed meo iudicio nihil vrget.

Respondetur enim primo quod sequeretur vnum corpus non posse poni in pluribus locis, quia posset in infinitis, & si est perfectionis in forma informare posset plures materias, est etiam perfectionis in corpore posse implere plura spatia; ergo æque sequeretur infinitas perfectionis in corpore ac in forma, contra ipsummet *Matrium*.

Dices cum Matrio disparem esse rationem, quia corpus in ordine ad plura loca mere passive se habet, nullumq; habet exercitium virtutis in eorū acquisitione: sed forma in informando exercet virtutē informativā.

Contra, quia corpus respectu locorum exerceret virtutem repletivam tam bene, quam forma virtutem informativam.

Deinde catenus corpus mere passive se haberet ad plura loca, quia haberet esse in illis formaliter à pluribus ubi productis à solo Deo in genere causæ efficientis: sed forma etiam in pluribus materiis haberet esse per plures uniones, quæ à solo Deo producerentur: ergo mere passive se haberet tam bene, quā corpus & consequenter à primo ad ultimum disparitas data nō sufficit.

Alia instantia posset dari contra hanc implicanciam de ipsa materia, quæ secundum *Matrium* potest recipere plures formas, atque adeo infinitas, si darentur, sine infinitate perfectionis, cum tamen reuera si sit maioris perfectionis in forma informare plures materias, sit etiam maioris virtutis in materia esse informabile à pluribus formis, & posse simul constituere plura tota: ergo vel tenendū quod materia nequeat recipere plures formas, non obstante hac ratione, vel admittendum est vnam formam posse, ea non obstante, informare plures materias.

67. *Respondetur secundo*, directe negando sequelā, quia vel non arguit maiorem perfectionem in forma simul & semel informare duas materias quam vnam, atque ideo informare infinitas, si darentur, non argueret infinitam perfectionem in illa, ut est evidens; vel si arguat maiorem perfectionem, quamvis possit plures informare, non tamen poterit infinitas, sed limitabitur ad certum numerum, ultra quem simul nequeat plures informare. Cuius exemplum habemus clarum in virtute intellectiva, quæ licet posset plura simul intelligere ex vi sua naturali, non tamen posset infinita, sed limitatur ad certum numerum, quia intelligere plura supponitur arguere perfectionem maiorem, atque adeo intelligere infinita argueret infinitam perfectionem; ergo quamvis posset forma informare duas materias, non posset tamen infinitas, si informare plures argueret maiorem perfectionem. An autem arguat maiorem perfectionem in forma informare plures materias, est impertinens ad hanc difficultatem: & idem dicendum, quod dicitur de corpore respectu plurium locorum.

Confirmatur hoc vterius exemplo animæ rationalis, quæ potest varias partes corporis informare naturaliter: quæ ergo, an ex eo quod possit plures partes categorematicas ac determinatas informare, possit infinitas, si darentur? Si dicatur quod non: ergo similiter non sequitur, quod si vna forma possit plures materias informare, possit informare infinitas: quæ consequentia videtur evidens à paritate rationis. Si dicatur quod possit: ergo quemadmodum anima potest informare infinitas partes determinatas, si darentur, absque infinitate virtutis, poterit vna forma informare infinitas materias absque infinitate virtutis. Quæ etiam consequentia videtur evidens non minus quam præcedens. Vnde corrumpit totaliter vis huius implicancie.

68. *Tertia implicancia est*, specialiter de formis dependentibus à materia, quia sequeretur, quod talis depen-

deret, & non dependeret à secunda materia, nam dependeret totaliter & adæquate à prima materia.

Respondetur negando sequelam, quia posset poni in pluribus, vel sic, ut dependeret totaliter ab vna, & non dependeret villo modo à secunda licet vniretur ipsi, per unionē tamen, à qua non dependeret quoad existentiam; vel sic ut nec ab vna, nec ab altera depēderet, licet vtrique vniretur, nec enim est necesse ut forma materialis dependeat à materia in fieri, ut patet ex eo; quod posset à Deo produci absque materia villo modo: vel denique ita ut dependeret ab vtraque, sed partialiter à qualibet ex illis, & à nulla adæquate: non ergo sequitur necessario, ex eo quod esset in pluribus adæquatis, quod dependeret & non dependeret ab vlla ex illis, aut ab omnibus simul.

Quod si quæras, an sit idem numero compositum, quod sequeretur ex materiis pluribus, in quibus inesseret eadem forma.

Respondetur, quidquid dicant alij authores tenentes nostram conclusionem, quod non, sed essent plura numero distincta pro distinctione materialium: sicut enim, si eadem forma successively informaret duas materias, non sequeretur ex ea vnum numero individuum, eodē modo prorsus dicendum, si simul esset in illis, vniuersaliter enim compositum est distinctum numero à quolibet alio, quoties vel forma ipsius est distincta numero à forma alterius, vel materia ipsius est distincta numero à materia alterius. Ad quod conducunt, quæ dixi quæstione præcedenti de distinctione specifica compositorum ex eadem materia & plurimis formis in ea positis.

69. *Obiicies Scotum*, 3. d. 1. q. 2. dicentem expresse ita impossibile videri vnum accidens esse in duobus subiectis, sicut vnam formam substantialem esse in duobus materiis; igitur si necessario sequitur infinitas ex eo, quod vna forma substantialis sit in pluribus materiis, necessario sequitur infinitas ex eo, quod vnum accidens sit in pluribus subiectis: ergo Scotus tener vniuersaliter nullā vnam formā posse esse simul in pluribus subiectis.

Respondetur negando consequentiam quia Scotus non negat aut vnam, aut alteram formam posse esse in pluribus subiectis, neque asserit inde sequitur, quod alterutra esset illimitata, sed dicit quod si sequeretur infinitas vnius, sequeretur etiam alterius, & hoc sufficiebat eius intento, quod erat impugnare responsionem Varonis, in qua ponebatur aliqua differentia inter formam quæ substantialiter constitueret, & quæ accidentaliter adueniret, ut patet ex contextu. Vide quæ dixi in Logica, de Accidente prædicamentali.

QVÆSTIO V.

An eadem actione qua conservatur forma in materia conservetur absque materia.

70. *S*uppono hic formam habere suam propriā existentiam non minus quam materia habet, ac propterea quemadmodum materia potest conservari absque forma ex dictis supra, ita formam posse etiam conservari absque materia; quod quidē naturaliter contingit in anima rationali, quæ est indepēdens in esse & conservari à materia; in aliis vero formis, quæ educuntur ex potentia materiæ non contingit naturaliter, quia alias non educerentur, sed bene posset contingere supernaturaliter, cū in hoc nulla sit implicancia, sicut non est implicancia, quod accidentia Eucharistica, quæ à suo subiecto educta sunt, de facto cōserventur extra subiectū. Quod exemplū ostendit formas etiā substantiales eductas posse similiter conservari absque materia, nec negatur ab vllis Peripateticis aut Catholicis. Examinandū ergo hic remanet, an si conservarentur miraculose, destructo subiecto, aut vniōne earū ad subiectum, eadem actione qua ante, an diuersa, conservarentur.

Prima sententia est eodem modo, quo supra diximus materiam posse conservari absque forma eodē influxu, quo conservatur, quando habet formam, ita etiam formas eodem influxu conservari posse sine materia, quo conservantur, quando sunt in materia. Ita *Mastrius* disp.

Ex duabus materiis & vna forma fierent plura individua.

Forma substantialis potest conservari absque materia supernaturaliter.

Nn disp.

disp. 2. q. 3. affirmans esse Scotistarum cum *Scoto* in 4. d. 12. qu. 1.

Secunda sententia tenet formas materiales, quæ dependent à materia in fieri & conservari, non posse conservari eodem concursu, quo conservabantur in materia, sed necessario advenire debere concursum aliquem novum, qui suppleat defectum concursus, quo conservabantur à materia. Ita *Aversa* qu. 21. sect. 4. & Thomistæ communiter, quorum plurimi vltraconcursum effectuum Dei requirunt etiam modum aliquem positum communicari formis, quando conservantur absque materia, quem vocant perfectitatis modum, qualem etiam attribuunt accidentibus Eucharisticis, & omnibus, quæ separata à subiectis conservantur. Sic tenet *Ruvins* hic qu. 5. ac alij plures.

CONCLUSIO I.

Anima rationalis eodem concursu in & extra subiectum conservatur.

71. *Anima rationalis conservatur extra corpus eodem ipso concursu, quo conservabatur in corpore absque concursu aliquo particulari ipsi superaddito, aut modo aliquo positivo.* Hæc quoad primam partem debet esse communissima, & probatur facile, quia est independentis à corpore in omni genere causæ influentis: ergo eodem concursu continuato, quo conservatur in corpore, conservatur extra corpus. Secunda pars est Scotistarum omnium, & videtur esse contra Thomistas; Probatur autem per illa principia, quibus probavimus in Logica, accidentia absque tali modo superaddito posse conservari: & ratio sufficientissima est, quod haberet esse per se destructa solummodo vñione ipsius ad corpus, & quod propterea superflue poneretur modus vllus positivus perfectitatis à quo habere sic existere.

CONCLUSIO II.

Formæ educæ non conservantur eodem concursu in & extra subiectum.

72. *Formæ educæ non possunt conservari eodem concursu extra subiectum, quo conservabantur in subiecto, bene tamen possunt conservari absque modo superaddito perfectitatis.* Hæc est contra *Masirium* supra, & plures Thomistas; secunda vero pars patet ex dictis conclusionibus præcedentibus, quia non solum non esset necessarius ille modus, sed omnino superflueret.

Probatur prima pars, quia si concursus ille Dei, quo conservat eas in subiecto, esset se solo sufficiens ad conservandas formas absque subiecto, esset etiam sufficiens se solo ad conservandas ipsas, dum sunt in subiecto, ut est evidens: sed non est sufficiens ad conservandas illas, dum sunt in subiecto; ergo. Probatur minor, quia si esset sufficiens absolute & simpliciter, sequeretur quod non dependerent à materia, dum sunt in materia, nec quoad esse, nec quoad conservari, & consequenter sequeretur, quod non essent educæ, contra suppositum conclusionis. Probatur sequela, alias dependerent, & non dependerent adæquate à Deo; non dependerent quidem, quia dependent etiam à materia; dependerent autem, quia effectus adæquate dependet à causa, quæ habet actionem, per quam solam adæquate poneretur: sed Deus haberet actionem circa formam, dū existit in materia, per quam solam adæquate poneretur, quamvis non esset concursus vllus materiæ aut alterius causæ: ergo dependeret adæquate à Deo.

Et sane, qui negaret hunc discursu, posset negare esse inconueniens, quod idē effectus dependeret simul ac semel à duabus causis totalibus, contra manifestā doctrinam Scoti pluribus locis, & contra rationē. *Nec sufficit dicere cum Masirio*, quod cōcursus Dei, quo producit in materia, sit sufficiens quoad substantiā, & insufficiens solum quoad modum, quia materiæ actu concurret ad substantiam formæ producendā, ergo non sufficit concursus Dei ad substantiā. Adde non posse ostēdi ad quē modū formæ requiritur concursus materiæ. *Nec valet dicere cum eodem*, quod quamvis concursus Dei sit sufficiens, concursus creaturæ tamē nō sit superfluous, licet non sit necessarius; nam illud est superfluum ad ponendū rem, sine quo res de facto necessario poneretur, & quidē æque facile: sed si concursus Dei sit suffi-

ciens, eo solo posito, necessario poneretur forma, & quidem æque facile: ergo concursus materiæ esset superfluous, imo esset impossibilis, ex principiis illis, ex quibus colligitur effectum dependentem adæquate ab una causa nō posse dependere nec partialiter ab altera.

73. *Nec etiam sufficit dicere*, quod ab actione illa conservatiua Dei dependet adæquate in genere causæ effectivæ, & à concursu materiæ dependet in genere causæ materialis, & quod non sit absurdum eundem effectum dependere adæquate à pluribus causis in diverso genere causæ, licet sit absurdum, quod dependeret adæquate à pluribus causis in eodem genere. Hoc, inquam, non sufficit, quia licet dependere possit effectus à pluribus causis diversi ordinis sic, ut à qualibet adæquate dependeat in suo ordine, non tamen potest ab illis dependere sic, ut ab unaquaque dependeat adæquate simpliciter, ita ut actio vnius solius sufficeret sine actione alterius, quia sic dependeret & non dependeret ab altera; unde nec de facto actio intellectus sola est sufficiens ut ponatur intellectio, nec actio obiecti solius, sed vtraque requiritur, & ab vtraque dependet intellectio, quod si vna sola sufficeret, profecto altera esset superflua, imo & secundum Scotum impossibilis.

74. *Confirmatur hoc*, quia potest optime colligi, quod aliquis effectus non dependet naturaliter ab aliqua causa, si videatur, quod alia causa ponat omnia, quæ sunt necessaria ad effectum, & quibus actu poneretur effectus, quamvis altera illa causa, non poneretur actu: ergo si actio illa Dei est talis naturæ, ut per eam poneretur forma, quamvis materia non poneretur, ut dici debet in aduersa sententiā, omnino debet dici, quod non dependeat forma à materia. Et sane hinc optime colligitur, quod anima rationalis non dependeat in fieri à materia, licet non producat, nisi in materia, quia concursus, quo ponitur à Deo, est se solo sufficiens, & eo posito poneretur anima, quamvis non esset materia.

Confirmatur secundo, quia res actu non dependet ab aliquo, quo non posito poneretur positus reliquis, quæ ponuntur, modo reliqua possint absque illo poni: sed posito concursu Dei secundum aduersarios absque materia, aut eius concursu (quemadmodum secundum aduersarios poni potest) esset forma: ergo non dependet forma à materia, aut eius influxu, contra hypotheseis conclusionis.

75. *Probatur secundo conclusio*, quia concursus Dei, quo conservatur in subiecto, est volitio, qua vult ipsum producere cum dependentia à subiecto, & in hoc distinguitur concursus, quo Deus producit animam in subiecto, à concursu, seu actione, qua formas educas producit in subiecto se solo effectivæ, verbi gratia, formas celorum, ac animas vegetativas, ac sensitives irrationales secundum Scotistas: concursus autem, seu actio, quo producit, aut conservat eas extra subiectum, est volitio, qua vult illas producere absque subiecto: sed certum est illas duas volitiones distingui formaliter, & quod distinguuntur etiam realiter, & inter se, & à Deo, nisi fuisset propter infinitatem, ac immutabilitatem Dei, ex qua etiam provenit quod volitio, qua vult producere leonem ac hominem, non sint distincta realiter, quandoquidem potest Deus eadem volitione reali sua facere, quod faceret distinctis volitionibus limitatis, si esset capax talium.

Quod si non dicatur ille concursus esse volitio Dei formaliter, certe debet esse aliquid specialiter dependens ab illa volitione, & per ordinem, ad quod illa volitio debet posse saltem à posteriori distingui ab omni alia volitione Dei formaliter consideratā: sed hoc æquē sufficit ad propositum, quandoquidem illud, per quod volitio, qua vult Deus producere aliquid cum dependentia à subiecto, distinguitur ab illa, qua vult ipsum producere sine subiecto, debet distingui ab illo, per quod altera volitio distinguitur.

76 *Obijcit Masirius*: invariato principio, & termino non variatur actio: sed forma extra subiectum, & in subiecto secū dum se est eiusdē rationis, & Deus est eiusdē ratio

rationis: ergo actio Dei, quando forma est in subiecto, & extra subiectum est eiusdem rationis.

Confirmatur, quia conseruatio non distinguitur realiter à prima productione, quando causa conseruans & produciens est eadem: ergo conseruatio, qua Deus conseruat formam extra subiectum & in subiecto, est eadem.

Confirmatur secundo, quia si non sufficiat illa actio, qua conseruabatur in subiecto ad formam conseruandam extra subiectum, ergo debet definire illa prima actio, & succedere secunda, & consequenter debet definire ipsa forma contra suppositum conclusionis; in ea enim supponitur formam semper continuari.

Respondeo: inuariato principio adæquato, transeat maior; principio partiali, nego maiorem, & concessa minori, nego consequentiam, quia Deus non est principium adæquatum formæ, quando producit, & conseruatur in subiecto cum dependentia ab ipso.

Confirmari potest hoc vulgari exemplo, quia quando duæ causæ creatæ efficientes, verbi gratia, duo ignes concurrunt ad producendum alium ignem, qui à quo libet ex illis se solo posset produci, quilibet ex illis habet actionem distinctam ab illa actione, quam haberet, quando se solo produceret illum ignem, & tamen terminus & principium sunt eiusdem rationis: ergo non est verum vniversaliter, quod quando terminus & principium sunt eiusdem rationis, actio debet esse eiusdem rationis.

Deinde posset responderi alio modo: quando terminus est idem & eodem modo dependens, concedo: quando diuerso modo dependet, nego maiorem, & concessa minori, distinguo consequens: si terminus est eodẽ modo dependens, concedo; si non, nego. In casu autem nostro terminus non est eodem modo dependens: nam dum est in subiecto, dependet à Deo, & subiecto; dum non est in subiecto, dependet à solo Deo.

Posset etiam tertio responderi distinguendo maiorem alio modo: quando principium agit omnino necessario, concedo; quando agit libere, nego. In casu autem nostro principium est liberum, nempe Deus, atque adeo potest vel actione huius rationis, vel illius producere eundem effectum sicut potest formam in subiecto producere, vel extra subiectum; quod non competere ipsi, si esset agens necessitatum ad agendum, nam eodem modo semper produceret ipsam.

Ad primam confirmationem respondeo distinguendo antecedens: quando causa conseruans, & produciens est eadem, & adæquata, dum conseruat ac producit, concedo; quando est inadæquata ac partialis dum producit, & adæquata ac totalis dum conseruat, vt contingit in casu nostro, nego antecedens & consequentiam.

Ad secundam confirmationem, transeat prima sequela, & nego secundam, quia vt desineret, deberet esse verum pro aliquo instanti, quod non esset: in casu autem nostro, quamuis sibi inuicem succederent alia & alia actiones, tamen sic succedunt, vt non relinquunt formam pro illo instanti absque aliqua actione, & consequenter forma nunquam desinit. Quod etiam confirmari potest exemplo effectus producti ab vna causa, & conseruati absque intermissione per alteram: nam quamuis actio productiua sit destructa, succedente altera conseruatiua alterius agentis, tamen effectus semper conseruatur, & nunquam desinit; & exemplo effectus producti à duabus causis, & conseruati ab vna intendente vires suas, ac augente actionem.

79. *Dices cum Mastro*: licet possit fieri, quod causa secunda possit augere actionem conseruare effectum productum à se & alia, nec possit hoc facere, nisi aucta actione, aut posita alia noua maiori, quā adhibuit primo; tamen non est ita discurrendum de Deo, cuius actio quæcumque sufficere debet, vt se solo faceret, quod faceret cum causa secunda, quia aliàs dependere actio ipsius à causa secunda, quod videtur derogare perfectioni eius.

Respondeo negando, quod actio Dei, qua aliquid cum causa secunda facit, debeat esse talis natura, vt possit facere se sola illud, quia aliàs nihil faceret causa secunda:

nec est inconueniens, quod actio Dei dependeat à causa secunda, quando est actio factiua cum causa secunda, & quando Deus ex sua liberalitate vult admittere concursum causæ secundæ.

Confirmatur, quia certum est, quod concursus Dei, seu actio, qua vult producere compositum, dependeat necessario, à concursu causæ secundæ materialis & formalis, quia implicat vt sine illis faciat compositum: ergo non est inconueniens, quod aliquis concursus Dei dependeat ab aliqua causa secunda.

80. *Dices secundo* cum eodem *Mastro*, quando dicitur, quod idem concursus diuinus non sufficeret, vel fit mentio de concursu diuino materialiter, seu fundametaliter sumpto, & hic cum sit ipsa voluntas diuina, vel velle diuinum, est sufficiens; vel fit mentio de illo concursu formaliter, quatenus dicit terminationem dependentiæ effectus, & hæc etiam sufficit ad positionem & conseruationem effectus.

Respondeo negando, quod sit idem velle diuinum formaliter, quo vult conseruare formam cum dependentia à causa materiali, & quo vult producere ipsam sine tali dependentia: sicut non est idem velle formaliter, quo vult decernere Incarnationem in carne passibili, & Incarnationem quoad substantiam, in sententia *Scoti*. Et sicut non sufficeret decretum, seu velle diuinum, quo vult Incarnationem quoad substantiam ad ponendam illam cum passibilitate: ita non sufficeret decretum, seu velle quo vult producere formam cum dependentia à subiecto ad producendam ipsam sine dependentia à subiecto.

Deinde negatur esse eandem terminationem dependentiæ formæ à Deo, quando producit extra subiectum & in subiecto, quia quando producit extra subiectum, Deus terminat adæquate dependentiam eius; & quando producit ipsam in subiecto, non terminat dependentiam eius adæquate. Ex quo patet hanc replicam ex omni parte deficere. Itaque vno verbo, neque velle diuinum, quo vult producere formam dependentem à subiecto, sufficeret vt produceretur extra subiectum: neque est eadem terminatio dependentiæ formæ in Deo, quando producit dependenter à subiecto & sine subiecto.

81. *Obiicit ultimo Scorum* supra, qui videtur dicere, quod eadem actione conseruetur forma extra subiectum & in subiecto. *Respondeo* eum nihil aliud velle, quam quod eadem actione conseruetur sic, vt non requiratur aliqua alia specialis actio, per quam produceretur modus positius perfectioris: quod vltro fateor, & non præiudicat conclusioni vlllo modo.

Ex hac resolutione patet etiā accidentia educta à potentia subiecti, quæ conseruarentur à Deo absque subiecto, non eadem actione conseruanda, qua conseruantur in subiecto, contra eundem *Mastrium* *disputatione*. 3. *quæst.* 4. *artic.* 2. est enim eadem ratio prorsus de illis, ac de formis substantialibus eductis. Dixi autem *accidentia educta*, quia accidentia creata, vt sunt secundum *Scotistas* communiter habitus supernaturales in substantia, eadem actione conseruari possent extra subiectum, qua conseruantur dum sunt in subiecto, sicut diximus de anima rationali, de qua & de illis quantum ad hoc est eadem ratio.

Quæritur posset, an forma dicat potentiam, & aptitudinem ad materiam, & an illa sint de essentia eius, ac terminetur ad omnes materias. Sed eodem modo discurrendum, quo discurremus supra de potentia & aptitudine materiæ.

82. *Quæritur etiam* posset, an sit ita actiua, vt non sit etiam vlllo modo passiuā. *Respondeo* breuiter, quod sit passiuā, hoc est receptiua suarum propriarum passionum ac relationū similitudinis & dissimilitudinis, ac vnionis ad materiam, ac mutationis localis; & etiam, quod sit ratio quare compositum recipiat connaturaliter has qualitates potius quam illas: nā non est dubium quin forma ignis sit principium physicum, quare ignis recipiat connaturaliter calorem potius, quam frigus, neque enim id oritur

Accidentia educta non conseruantur eadem actione in & extra subiectum.

An forma dicat aptitudinem ad materiam.

ex materia, quæ ex se est indifferens ad vtrumque: & similiter forma aquæ est principium physicum, cur aqua recipiat violenter calorem potius, quam frigus; & forma cæli est principium, cur cælum moueatur naturaliter motu suo circulari.



DISPUTATIO V.

DE PRIVATIONE ET VNIONE.



In hac Disputatione consequenter ad tractatum de duobus principiis corporis naturalis agitur de tertio principio, quod diximus supra esse Priuationem: & quia de eo paucissima hic examinanda sunt, ne disputatio breuior esset, agendum etiam videbatur in ea de vnione, quæ requiritur, vt forma tollat priuationem, & vt sequatur compositum, de quo agendum erit disputatione sequenti.

QVÆSTIO I.

Quomodo Priuatio principiet corpora naturalia.

1. **S**uppono priuationem secundum omnes esse carentiam formæ in subiecto apto habere formam, & consequenter distingui solū à negatione per connotationem istius aptitudinis: vnde etiam sequitur, quod priuatio duobus modis possit tolli à subiecto, primo per positionem formæ, qua priuatur, secundo per ablationem istius aptitudinis, si auferri possit sine destructione subiecti.

Suppono secundò ex dictis in Logica in disputatione de ente rationis, priuationem non esse ens rationis, cū sit in rebus independentem ab omni operatione intellectus & potentie cuiusvis vitalis; an autem debeat dici ens reale priuatum, est quæstio de nomine: & si intelligatur per ens reale priuatum aliquid, quod non est ens rationis, nec ens reale positum, melius dicitur, quod sit ens reale priuatum: imò potest dici absolute & simpliciter ens reale, quatenus ens reale opponitur enti rationis, seu quatenus omne illud dicitur reale, quod non est ens rationis. Sumit autem specificationem suam à forma, cui opponitur non intrinsece, quasi forma esset de eius essentia; sed extrinsece, quatenus ex eo, quod priuatur tali forma, cognoscitur, quod distinguatur specificè à priuatione, quæ priuatur alia forma speciei distincte; tot autem debent dici esse priuationes, quot sunt formæ realiter distinctæ, quibus priuatur subiectum: si enim vna sufficeret, adueniente vna forma nō tolleretur priuatio, & sic forma & priuatio essent simul, quod implicat.

Quid requiritur ad priuationem

2. **S**uppono tertio, vt aliquid habeat priuationem proprie dictam, non sufficere quod habeat carentiam formæ & aptitudinem remotam, quia alias catulus ante nonum diem diceretur cæcus, id est priuatus visu, quod est cōtra communem modum loquendi Philosophorum, à quo in questione de nomine non est recedendum. Itaque requiritur ad priuationem talis aptitudo, vt pro eodē instāti reali, pro quo dicitur res priuata, possit naturaliter habere formam priuatam, & si habeat aliquid impedimentū, non magis petat naturaliter pro illo instāti habere illud impedimentū, quam ipsā formam. Et hinc patet, cur catulus ante nonū diē non dicatur priuatus visu ex eo, quod ante illum diem habeat impedimentum ne possit recipere visu; materia vero habens formā ligni dicatur habere priuationem formæ ignis, quamuis habeat impedimentū positum ne possit recipere formā ignis; nā disparitas est, quod catulus sperat habere naturaliter istud impedimentū ante illū diem ita, vt naturaliter nō possit habere visu ante illū diem; materia vero nō petat habere naturaliter potius formā ligni, quo impeditur à forma ignis, quam ipsam formam ignis: cuius indicium est, quod naturaliter pro illo instāti possit esse sub forma

ignis tam bene quam sub forma ligni, licet per accidens sit sub forma ligni ex eo, quod antecederet ad illud instans non fuerint applicatæ causæ productiue formæ ignis.

CONCLUSIO I.

3. **N**on requiritur ad generationem, quod priuatio præcedat formam tempore in materia, neque extra materiam. Hæc est conformis principiis Doct. 2. d. 1. q. 2. & eam sequitur Auerſa quæst. 10. de rerum principiis; est autem contra Thomistam communiter, & contra *Maſtrium* disp. 4. quæst. 3. quamuis forte in re quæstio sit de nomine.

Priuatio non necessaria præcedit generationem tempore.

Probat quoad primam partem, quia generationem vermis ex speciebus sacramentalibus nō præcessit tempore materia, quandoquidem, vt communiter tenent Theologi esse de fide, non sit vlla materia sub illis speciebus, ex qua fieret illa generatio, & consequenter à Deo miraculose produceretur: ergo non præcessit priuatio in materia tempore istam generationem.

Confirmatur, quia si Deus produxit de nouo materiam sine vlla forma in instāti. A. & in eodem instāti applicaret ipsi ignem taliter, vt posset formam suam in illa producere, fieret generatio ignis, & tamen non præcessisset illam tempore priuatio in materia, quandoquidem materia ipsa taliter non præcessisset.

4. **E**t si dicatur ad hæc, quod illæ actiones non sint generationes. Contra, quia non potest vllum prorsus discrimen intrinsecū assignari inter actionem, qua ignis produceret formam ignis in materia tempore præexistente suam actionem, & actionem, qua produceret formam ignis in materia non præexistente: ergo si illa esset generatio, & hæc etiam erit generatio: quid enim conducit ad variationem actionis, quod materia præcesserit tempore vel non præcesserit, quando siue præcesserit, siue non præcesserit, semper habet eundem terminum ad quem, tam totalem, id est compositum, quam formalem, id est formam, præsertim cum forma etiam produceretur cum dependentia à materia tam in vno casu quam in altero.

Confirmatur, quia tam bene posset dici quod actio, qua produceretur aliquid ex materia prius habente formam ligni, distingueretur essentialiter, & specificè ab actione, qua produceretur aliquid ex ea, si prius haberet formam aquæ, quam quod actio qua produceretur aliquid ex ea prius tempore existente, distingueretur specificè ab actione, qua produceretur aliquid ex ea non prius tempore existente: ergo sicut istud absurde diceretur, ita & hoc.

Probat utraque pars in prima rerum creatione Deus potuit generare ignem, & tamen tum non præfuisse priuatio tempore, nec in materia, nec extra materiam, quandoquidem nec ipsum tempus præfuerit.

5. **P**robat ut secundò, quia Deus ab æterno potuit generare aliquid compositum, cum in hoc nulla sit implicancia: sed in tali casu non præcessisset generationem illam priuatio in materia, nec extra materiam. Et quamuis aliqui negent hoc posse fieri, tamen reuera repugnantia non est ex parte generationis, quasi generatio essentialiter peteret, quod præcederet ipsam tempore priuatio: sed ex aliis capitibus, de quibus alias.

Confirmatur, quia potest optime intelligi, quomodo necessaria sit priuatio ad omnem generationem, & quomodo sit principium intrinsecum ipsius, quamuis non præcesserit tempore, vt statim ostendimus: ergo non est necesse vt præcedat tempore. Consequentia patet, quia ideo solum asseritur necessitas talis præcedentiæ, quia alias sequeretur, quod non esset intrinsecum & necessarium principium.

Obiicit ex *Maſtrio*: productio qua produceretur compositum ex materia, in qua non præcessisset tempore priuatio, non esset generatio, sed creatio: ergo vt priuatio principiet corpora generata, debet præesse tempore.

Confirmatur, quia secundum *Scotum* 4. d. 11. quæst. 4. creatio & generatio differunt penes terminum à quo: sed creatio habet pro termino à quo negationem extra genus, quæ scilicet non inest vlli subiecto; ergo generatio debet habere